DISPUTATIO

PHILOLOGICA

DE HISTORICIS POLYBII LAUDIBUS,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

PRAESIDE V. CL.

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,
HIST. ANT. ELOQ. ET LING. GR. PROFESSORE,

Ad publicam disceptationem proponit

AUCTOR

ANTONIUS VAN GOUDOEVER,
RHENO-TRAJECTINUS.

A. D. VI. MARTII MDCCCIX. H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM,
Ex officinis OTTON. IO. VAN PADDENBURG,
ET
J. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHORUM.

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,

J. U. DOCT.

HIST. ANTIQUIT. ELOQ. ET LING. GRAEC. IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA PROFESSORI ORDINARIO, INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINARUMQUE SOCIO.

ET

CORNELIO WILHELMO DE RHOER,

J. U. DOCT.

JUR. CIV. ROM. GENTIUM, HODIERNI ET NATURAE, PROFESSORI ORDINARIO, INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINARUMQUE SOCIO.

DUUMVIRIS, ERUDITIONE ATQUE DOCTRINA CONSPICUIS, PRAECEPTORIBUS OPTIME DE SE MERITIS, SEMPER VENERANDIS,

PII GRATIQUE ANIMI SIGNIFICANDI

CAUSSA

SCRIPTIUNCULAM HANC

D. D.

AUCTOR.

L. S.

Diu multumque cogitanti de disputatione aliquâ conscribendâ, ut meorum in his literis progressuum periculum facerem, arridebat mihi continuo laboris utilitas, obstabat autem fere operis difficultas. Itaque dubius haerens et viribus ipse meis diffidens, optimum adire Praeceptorem constitui, ut, quae jam pridem animo volveram, candide ei aperirem. Comiter me excipiebat Cl. Heusdius, proque humanitate, quae singularis quaedam in hoc viro esse solet, laudabat propositum, atque sic mihi ad illud peragendum persuadebat, ut qui dubius et haesitans ad eum veneram, confirmatus plane animo ab eo discederem. Ita de proposito constabat. Restabat, ut aptam eligerem scribendi materiam. Et, quod multis evenire solet, ut ipsâ copiâ inopes fiant, id mihi etiam accidisse, non est quod diffitear. Quum enim per amoena illa et ampla literarum vireta spatiarer, adeo me multa allicuerunt scribendi argumenta, ut,

quae admirarer, haberem infinita, quod mihi eligerem, invenirem nullum. Tandem iterum carissimi Praeceptoris consilium expetens, eo viri monitis sum adductus, ut Polybii in historiâ conscribendâ laudes mihi declarandas sumerem.

Propositi hujus non illa fuit ratio, ut sive Elogium *Polybii sive ejus* Censuram *conscriberem. Tantus vir laudari, nedum censeri, nisi a pari viro, rite non poterat. Et pulcerrimum hoc munus, quoad ejus fieri in dedicatione poterat, magnus jam perfecerat Casaubonus. Ego consilium cepi et minus ad peragendum difficile et magis huic aetati et viribus meis consentaneum. Constitui simpliciter inquirere, quae fuerint et quales in historiâ conscribendâ Polybii virtutes, ut has deinceps ordine et ipsis appositis Historici locis exponerem. Cogitabam hoc negotium et mihi perutile futurum, nec aliis plane inutile. Sic enim Polybius, qui mirifice me ceperat, nunc mihi deinde et totus erat legendus et ita tractandus, ut nil non annotarem, cogitando expenderem, judicando examinarem. Et praeterea sic mihi videbar, eodem hocce opere perficiendo cum ad Historiae antiquae, tum ad humaniorum omnino literarum scientiam et facultatem haud mediocriter profecturus esse. Neque aliis etiam injucundam aut inutilem putabam hujusmodi* dis-

disquisitionem. Nam, etsi egregie tenebam, eruditiores in tantillâ hacce scriptione, quod ipsis magnopere prodesset, non inventuros esse: tamen hac ducebar suavissimâ spe, fore, ut disputatione legendâ juvenes ad majorem Polybii amorem excitarentur, et, quod votorum summum erat, ut nativam Graecorum scriptorum pulcritudinem degustantes ad interiorem horum cognitionem adducerentur.

Et hoc proposito, ut popularis scriptio Graece etiam ignaros, ad Polybii notitiam et studium invitaret, Graecis latina addidi. Versionem autem magis perspicuam ipse conficere constitueram. Sed muneris mei occupationibus distractus, propositum perficere non potui. Quocirca vulgarem versionem, paucis subinde mutatis, secutus sum.

Etenim quinque, et quod excurrit, abhinc mensibus, accidit, ut Zwollani Gymnasii Curatores, viri amplissimi, me dignum judicarent, qui moderamen Scholarum apud Zwollanos auspicarer. Quod munus cum lubenter accepissem, incidi continuo in tam multa tamqui varia negotia, ut Polybio dare operam, nisi horis subsecivis, non liceret. Atque haec item est caussa, quare hactenus differre debuerim, ut scriptionem meam ad publicam disceptationem proponerem.

Quod

Quodsi spe meâ et propositis non plane exciderim, habeam sane, quod optimis praeceptoribus gratiae apponam, iisque gratissimum testificer animum. Quo quidem sensu ita me imbutum esse sentio, ut silentio hic eos praeterire, sine piaculo non posse mihi videar. Tam enim singulari benevolentiâ me complexi fuerunt duumviri Cl. Heusdius et Rhoerius, ut non modo lectionibus Academicis atque praeceptis me informaverint plane atque instituerint; verum etiam amicitiâ et caritate ita prosecuti sint, ut totus qui sim, is ex horum virorum institutionibus, monitionibus, consiliis consuetudineque exstitisse laetus profitear. Tantum autem abest, ut caeterorum etiam praeceptorum sim immemor, ut his publice hoc loco me gratias agere posse, pie gaudeam. Uti enim nomina Saxii, Segarii, Hennertii, Rossinii, Heringae, Nyhoffii, serae posteritati summâ laude celebranda, ita mihi semper religiose colenda erunt.

Caeterum, benevole Lector, ne exquisitum hic et consummatum opus exspectes: sed accipias hanc disputationem, ut Academicum tentamen, et studiorum meorum primitias. Ita mihi fave et vale.

Scripsi Zwollae die XX Decembris, A MDCCCVIII.

EXORDIUM.

Polybius, Lycortae filius, Megalopolitanus, magnam sui nominis famam meruit. Hic claris in Republica majoribus ortus, natalium splendorem sua virtute et animi ingeniique nobilitate haud leviter illustravit. In rebus gerendis avitam gloriam cum bellica virtute, tum civili prudentia egregie sustentavit; immo rerum cognitione, judicandi solertia, et historiae facultate cumulavit. Qua facultate tantum profecit, ut inter primarios veteris aevi Historicos primarium quemdam locum teneat. Nam quum Historici laus in eo spectetur, ut accurate cognoscat, ut apte judicet, ut justo ordine tradat; haec omnia, uno eodemque tenore, ita scriptis suis complexus est, ut haereas, magisne in eo mireris sollicitam singulorum horum officiorum curam atque observationem, an earumdem virtutum in ipso conspirationem atque consensum.

Quo magis dolendum est, tanti viri scripta, temporum injuria, magnam partem interiisse. E XL enim libris Historicis non nisi quinque priores integri ad nos pervenerunt, sexti pars tantum quaedam servata fuit: caeterorum vero non nisi fragmenta quaedam, hic illic obvia, restant. Veruntamen, cum e superstitibus his scriptis ipse Polybius satis cognosci possit, operae pretium duximus, e reliquiis his ejus dotes et virtutes, cum interius inquirere, tum enucleatius exponere, quo verius et accuratius de praestantissimo viro existimetur.

Et quandoquidem Polybium hac disputatione, ut Historicum, consideraturi sumus: disquiremus primum de opportunitatibus, quas habuit, ad res, de quibus scripsit, rite cognoscendas: deinde de acumine et judicio, quo valuit, ut res gestas earumque causas bene perspiceret: tum etiam de ratione et formà, qua ad summam legentium utilitatem argumentum suum tractavit. Haec tria in quovis requirimus homine, qui res nobis qualescunque tandem enarraturus sit: postulamus, ut eas et diligenter cognoverit, et prudenter dijudicet, et perspicue enarret. Quidni autem simplici hoc et natutali modo Historici nostri etiam facultates et virtutes aestimemus?

CA-

CAPUT PRIMUM.

De opportunitatibus, quas habuit Polybius ad res, de quibus ſcripſit, bene cognoscendas.

Sed, quo interius inquiramus, quatenus Polybius res, de quibus ſcripſit, cognoſcere potuerit, ad haecce quatuor inprimis attendamus: primum ad tempus, quo vixit: deinde ad munera, quibus functus est: tum ad viros in Republica verſatos, quibuscum conſuetudinem habuit: denique ad peregrinationes, quas ſuſcepit. Quibus explicitis, idonei erimus ad hiſtoricam ejus fidem vero pretio aeſtimandam.

§ I.

De tempore, quo vixit Polybius.

Natus est Polybius Olympiade CXLIV vel initio Olympiadis CXLV, inter annum U. C.

DL. et DLVI. Mortuus esse perhibetur anno aetatis octuagesimo secundo, adeoque Olympiade CLXIV vel initio Olympiadis CLXV, inter annum U. C. DCXXXII. et DCXXXVIII (*a*). Accuratius tempus, quo natus fuerit Polybius, definire tentarunt cum alii, vid. Intpp. ad Suidam v. Πολυβιὸς; tum G. J. Vossius, de Historicis Gr. l. I. c. 19: sed frustra, ut videtur. Qua de re quominus plura dicamus, docta facit et ingeniosa disquisitio Schweighaeuseri v. cl. ad veterum de Polybio testimonia et ad ipsum Polybium vol. V. p. 3. Ed. Schweigh. Ut ut est, valuit haec ejus aetas eo, ut propositum de universa historia conscribenda primus peragere plene potuerit. Cum enim antea quae per terrarum orbem gerebantur, sparsa quasi et divulsa essent, διὰ τὸ καὶ κατὰ τὰς ἐπιβολὰς, ἔτι δὲ συντελείας αὐτῶν, καὶ κατὰ τόπους διαφέρειν ἕκαςα τῶν πεπραγμένων „ *quum et susciperentur et finirentur singula eorum, quae peragebantur, diversas ob causas, et temporibus quoque ac locis invicem distarent:*" universa historia conscribi haud facile poterat. Nam ante bella Punica Romani ex Italia nondum egressi fue-

(*a*) Vid. Lucianus in Macrobiis, tom. III. p. 225.

fuerant, mareque vix tentarant. Graecorum res Perficis quidem dudum et Macedonicis: Romanis vero nondum interius implicitae erant. Poeni bella cum Syracufanis gesserant, pacta cum Romanis iniverant, fed caeteroquin coloniis condendis tuendisque occupati, fuam magis mercaturam, quam aliarum gentium ftudia attenderant. Quo factum, ut antecedentes Hiftorici univerfum quid hiftoriis fuis nondum complexi fuerint. Cadmus, Eudemus, Acufilaus, Pherecydes, Xanthus, alii, qui in antiquisfimis Graecorum Hiftoricis cenfentur, vel civitatis tantum fuae hiftoriam antiquitatemque defcripferunt, vel, fi ulterius progresfi funt, ipfis certe Graeciae finibus fe continuerunt. Hecataeus, itinerum fuorum opportunitate, res etiam Aegypti aliarumque gentium in Hiftoriis fuis attigit; fed non eo propofito, ut univerfam inde Hiftoriam conficeret. Neque ipfe etiam Hiftoricorum parens, Herodotus, hoc egisfe videtur. Argumentum enim Hiftoriae fibi propofuit, ut Lydorum et Perfarum cum Graecis bella enarraret. Quodfi aliarum etiam Afianarum gentium, item Africanarum res gestas, mores, inftituta fubinde defcribit: funt hae gravisfimae eaedemque venuftisfimae digresfiones; ad res vero horum populorum conjunctim tradendas referri non posfunt. Thucydides mate-

riam, de qua ſcriberet, bellum Peloponneſiacum ſumſit, quod in ſola fere Graecia geſtum eſt. Xenophon de Perſis multa narravit, eaque cum rebus Graecorum cohaerentia; de Romanis vero, Poenis aliisque gentibus non egit. Jam Polybius eo tempore naſcebatur, quo jam arcte res Graeciae conjungi cum rebus Carthaginienſium et Romanorum coeperant: quo Europa cum Aſia et Africa commercium habebat: quo omnino Hiſtoria vere eſſe univerſa dici poterat. Romani non ſolâ amplius Italia continebantur: ad Carthaginienſes, Graecos et Aſiaticos populos arma convertebant. Graeci non domeſtibus tantum litibus et bellis Perſicis occupabantur, rebus etiam Romanorum et Carthaginienſium ſe inmiſcebant. Et Carthaginienſes, auctore Hannibale, cum Graecis, certe cum Philippo, foedus inierant, ut conjunctis utrique viribus Romanos aggrederentur. Patentisſimum igitur magnificentisſimumque habuit, quod et ipſe ſpectaret, et aliis etiam ſpectandum cognoscendumque praeberet rerum geſtarum ſpectaculum.

Hanc temporis ſui opportunitatem ipſe animadvertit et laudat l. I. c. 4. „ Quod enim, „ operis noſtri proprium eſt noſtroque tempo- „ re mirandum accidit, hoc illud eſt: quod „ ſic ut Fortuna res prope univerſas totius qua

„ ha-

„ habitatur orbis, in unam partem inclinavit, „ atque omnia ad unum eundemque ſcopum „ vergere coëgit: ita et nos hacce ſcriptione „ ſub unum quaſi conſpectum lectoribus poni„ mus, quo tandem modo ad operis hujus uni„ verſi conſummationem ipſa ſe Fortuna geſſe„ rit. Atque hoc inprimis fuit, quod me ex„ citavit impulitque, ut hiſtoriam ſuſciperem „ ſcribendam. Accedebat eo, quod nemo me„ moria noſtra hiſtoriam univerſam conſcribe„ re erat aggreſſus. Nam alioquin minus equi„ dem ad id ſtudii attuliſſem. Nunc, quum „ viderem ſpeciatim quidem geſta bella et non „ nulla, quae temporibus iisdem evenerant, „ non unum aut alterum, ſed plures memoriae „ mandaſſe: τὴν δὲ καθόλου καὶ συλλήβδην οἰκονομίαν „ τῶν γεγονότων, πότε καὶ πόθεν ὡρμήθη, καὶ πῶς „ ἔσχε τὴν συντέλειαν· *univerſam vero illorum, „ quae ad ſummam rerum conferunt adminiſtra„ tionem in iis, quae acciderunt, quando et a „ quibus principiis quaeque ſint profecta, quove „ modo hunc tandem finem res ſint nactae:* haec, „ inquam, neminem, quod ipſe quidem ſciam, „ in animum induxiſſe examinare: (b) omni-

„ no

(b) Teſtatur Polybius, Ephorum hiſtoriam etiam con-

„ no factu necesſarium duximus, ut pulcerri-
„ mum atque utilisſimum Fortunae inſtitutum
„ neque ſileremus, neque transmitteremus in
„ obſervatum. Haec enim multa quotidie no-
„ va moliens, et in humanis ſuarum virium
„ ſpecimen continue edens; nullum plane ad
„ hoc tempus neque opus ſimile fecerat, neque
„ certamen ullum, quale noſtra memoria certa-
„ verat: id vero ex iis, qui particulatim res ge-
„ ſtas ſcripſerunt, non cognoſcas. Niſi forte
„ aliquis, ubi nobilisſimas urbes ſigillatim adie-
„ rit, aut etjam, me Hercule, pictas in tabula
„ fuerit contemplatus: ſtatim putaturus ſit, to-
„ tius quoque orbis figuram, univerſumque
„ adeo illius ſitum atque ordinem probe ſe
„ didicisſe."

Opportuna etiam ei fuit haec aetas, ut ex Hiſtoricis Graecis antecedentis aevi et Romanis

---

conſcripſisſe καθολικὴν l. V. c. 33., ejusque ſaepius mentionem facit, uti l. VI. c. 45. et 46., ubi conf. Schweigh. l. IX. c. 1. et l. XII. c 23. Sed quominus intelligamus hiſtoriae rationem, qualem ſecutus est Polybius, ipſe hic, quem deſcripſimus, locus vetat. Propius autem Ephorus quam quislibet alius, ad Polybianum Hiſtoriae conſcribendae conſilium accesſisſe videtur.

nis etiam proficeret. Praeterea tunc temporis hiſtoria ad artis rationem adacta erat et cum rebus geographicis, tacticis, chronologicis, caeteris conjungi coeperat. Caeterum, quandoquidem Hiſtoriâ ſuâ continuit res ab Olymp. CXL. ad Olymp. CLIII., ipſe per vitae rationes magnam partem iis interfuit. Facile igitur potuit Polybius et explorare et bene cognoſcere ea ipſa, de quibus memoriae prodidit. Scripſit enim hiſtoriam, quam vel ipſe viderat, vel ex aliis, qui viderant cognoſcere poterat, ne, ut ipſe ait, ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς narraret. L. IV. c. 2.

§ II.

De muneribus, quibus functus est Polybius.

Perquam igitur Polybio commoda fuit ad Hiſtoriam conſcribendam ipſa, qua vixit, aetas. Et commoda haec ei fuisſet, etiam ſi nulla munera publica gesſisſet, in ſcholae umbra latuisſet, e libris tantum et commentariis profecisſet. Atqui longe alia viri vita fuit.

Mature jam ad res gentium componendas accesſit. Nam in adoleſcentia, antequam etiam legitimam attigisſet aetatem (quae apud Achae-

os erat 30 annorum,) ei cum patre Lycorta ad Ptolemaeum Epiphanem ab Achaeis legatio decreta est. Vid. Polyb. *l. XXV. c. 7.* Conf. Fabricius *Biblioth. Gr. l. III. c.* 30. et Schweigh. *l. l. c.* 1. *p.* 4. Functus jam tum honoribus in patria, magna valuit apud cives suos auctoritate, ut de gravissimis rebus publicis ad populum diceret. Ita in bello adversus Perseum Achaeis auctor fuit, ut nec Romanos juvarent contra Perseum, nec Perseo adessent contra Romanos, sed neutrarum esse partium mallent, l. XXVIII. c. 8. Ita etiam oratione sua apud populum effecit, ut in Attali gratiam Eumeni honores restituerentur, l. XXVIII. c. 7. Polybii etiam opera Appio Centoni auxilia ab Achaeis negata l. XXVIII. c. 11. et Ptolemaeis concessa fuerunt l. XXIX. c. 9. Quamquam intercedentibus Romanis, hoc decretum exitum habere non potuit, l. l. c. 10. Praefectus deinde equitum nominatus est, qui Romanis auxilia ferrent, l. XXVIII. c. 6. Idemque legatus fuit Achaeorum ad Q. Marcium Cos. bellum cum Perseo gerentem, l. XXVIII. c. 10. seqq. Et ex variis his muneribus obeundis tantam nactus est prudentiae, ac militaris inprimis peritiae famam, ut fratres Ptolemaei ipsum ab Achaeis pete-

rent, equitum auxiliarium praefectum, l. XXIX. c. 10. Munera haec et gloriam excepit deinceps exsilium. Adeo verum est invidiam esse gloriae comitem. Nam quum Achaei, Callicrate auctore (*d*), res novas moliri dicerentur, Romani mille e nobilissimis Achaeis, in his etiam Polybium, Romam evocarunt. Sed ne in ipso etiam exsilio res politicas plane dimisit. Principes Romanos consilio suo et opera juvit: (qua de re infra dicendi erit locus.) Demetrio, Seleuci Regis Syriae filio, Roma, ubi obses servabatur, profugienti, monitis et consiliis ita profuit, ut sine Polybii prudentia, misere profecto spe sua decidisset. l. XXXI. c. 19. seqq. Et, qua erat Romae existimatione, apud viros quosque nobiliores optimo effectu pro Locris intercessit, l. XII. c. 8. Tum etiam gratia sua et Scipionis opera a Catone et senatu veniam in patriam redeundi sibi suis-

(*d*) Hunc non uno loco libertatis proditorem vocat, et graviter in eum invehitur. V. l. XXVI. c. 1–3. et l. XXX. c. 20. Ejus etiam meminit, l. XXXIII. c. 15.

suisque impetravit, anno postquam evocati fuerant, septimo decimo, l. XXXV. c. 6. Neque etiam, post concessum Achaeis exsulibus reditum in patriam, auctoritate valere desiit. Tantum enim efficere apud Mummium potuit, ut statuae Arati et Philopoemenis, virorum de Achaeis immortaliter meritorum, quae antea sublatae fuerant, suis locis reponerentur, l. XL. c. 8. (f) Quo nomine ipsi Polybio marmoream statuam posuerunt Achaei. Et magis etiam postea, quanta cum in patria, tum apud Romanos vi et potestate valuerit, manifestum est factum. Nam, postquam legati Romanorum eo proposito missi, ut res Achaeorum ordinarent atque constituerent, ex Achaja discesserant; Polybius ex eo-

(f) Existimat Fabricius l. III. c. 30., Polybium incensam a Mummio Corinthum vidisse, auctoritate fretus Plutarchi in vita Philopoemenis cap. ult., et Polybii ipsius apud Strabonem, l. VIII. c. 331. Probabilius autem Schweighaeuserus in testimoniis veterum de vita Polybii, VII. 2. statuit, eum expugnata demum Corintho in Peloponnesum advenisse, Cf. Valesius in notis ad eclogam illam de virtutibus et vitiis, quam in reliquiis Hist. Polyb. posuit Schweighaeuserus, l. XL. c. 10. Cf. l. XL. c. 7.

eorum mandato, urbes Peloponnesi obiens, controversias ac lites cognovit, dijudicavit, et quas poterat composuit: leges, atque quaestiones, sive formulas juris dicundi scripsit, civitatum denique firmavit rationem: illud in his omnibus agens, ut quam plurimis auxilio, utilitati et saluti etiam esset. Quo factum ut ubivis in animis civium virtutis suae et justitiae monumenta relinqueret, longe illa statuis et publicis honoribus, quibus eum prosequebantur, anteponenda. (*g*)

Tantum igitur abest, ut obscure vixerit Polybius, ut gravissima amplissimaque tam civilia quam militaria munera gesserit, in mediis rebus politicis versatus sit, in iisque unus in paucis maxime eminuerit, et veluti eluxerit. Quantae autem utilitati ad res, de quibus scripsit, cognoscendas haec munera esse Polybio debuerint, unus quisque sua sponte intelligit. Ita enim et patriae suae res administrans, et cum aliis continuo gentibus agens, et undique rerum sive gestarum sive gerendarum nuncios accipiens, insigniter sane politicam aetatis suae rationem cognoscere potuit.

§ III.

(*g*) Vid. Polyb. l. XL. c. 10. et Pausanias in Arcadicis l. VIII. c. 30. 37. 44. et 48. Conf. Fabricius, Bibl. gr. l. III. c. 30.

§ III.

De viris in rebus publicis verſatis, quibuscum conſuetudinem habuit Polybius.

Nihil ſane magis et ingenium acuit, et animum excolit, et totum omnino hominem ad praeclara omnia informat, quam perpetuum cum optimis hominibus commercium. Sic enim et noſtros cum aliis ſenſus opinionesque communicamus, et aliorum vicisſim ſenſus opinionesque recipimus. Qua mutua communicatione quaecunque animo ingenioque inſunt virtutes et facultates, et eliciuntur omnes et evolvuntur et confirmantur. Quodſi hoc nobis commercium intercedit cum viris, qui iisdem ſtudiis ducuntur, eadem propoſita habent, in iisdem negotiis verſantur, easdem artes tractant, ſponte ſane ad ſumma omnia obtinenda pervenire posſimus.

Magna hac in cauſa et eximia fuit Polybii felicitas. A teneris inde annis optimorum hominum commercio uſus est, et ejusmodi quidem illo, ut ad hiſtoriam conſcribendam mirabiliter eum juvarit. Iis quippe familiariter uſus est viris qui in ipſa ejus temporis hiſtoria maximas partes egerunt.

Pa-

Patrem habuit Lycortam, post Aratum et Philopoemenem Achaeorum clarisſimum. Ipſo Philopoemene et inſtitutore et amico uſus est, viro ingenio, doctrina, rerum uſu ita conſpicuo et excellenti, ut meliorem nanciſci praeceptorem monitoremque nullum potuerit. His dignum ſe praeſtans et filium et diſcipulum, non tantum ad virtutem prudentiamque excolebatur, ſed ad civilis etiam militarisque artis peritiam erudiebatur. Lycortas enim Strategus ſive Praetor Achaeorum fuit: quamobrem, non minus ac Philopoemen civitatum Achaearum causſas et vindicare et armis defendere debebat. Exſtiterunt deinceps temporum opportunitates, quibus in aliorum etiam virorum, illustrium pariter et principum, notitiam amicitiamque pervenit. In quibus potisſimum cenſendum est exſilium ejus Romanum. Nam quum caeteri Achaei per Italiae oppida diſtribuerentur, ipſi Romae manendi potestas fuit. Ibi tunc cum nobilisſimis quibusque Romanis conſuetudinem habuit, inprimis cum Scipionibus: quae gens, maximorum ingeniorum feracisſima, non tantum literarum humanitatisque lumine inſignis erat, ſed in ſummis continuo Reipublicae negotiis verſabatur, atque elucebat. Cum Scipione autem Aemiliano, Africa-

no

no juniore dicto, arctissimam consuetudinem contraxit, cujus vis etiam haud leviter apparet ex suavissima amicitiae hujus commemoratione apud ipsum l. XXXII. c. 9. seqq. Conf. Pausanias l. VII. c. 10. Huic tunc annum duodevicesimum agenti, ad bonarum artium studia et facultatem profuit, et reliquae deinceps vitae comes diu mansit. E qua familiaritate quot quantaque in Scipionem redundarint emolumenta, e veterum testimoniis egregie elicitur, vid. Diod. Sic. in excerpt. de virt. et vitiis, p. 585. seqq. edit. Wesselingii, Vell. Paterc. l. I. c. 18, Plutarchus in Apophthegmat. Regum et Ducum, opp. Mor. p. 814. Pausanias in Arcadicis l. VIII. c. 30. Neque vero Polybio inutile hoc commercium fuit, cum ad praeclariores quosque viros, Romae tunc degentes cognoscendos, in quibus Panaetium, de cujus meritis, quominus dicamus, palmaria facit Nob. Lyndenii de eo disputatio; tum etiam maxime ad publica rerum gestarum monumenta inspicienda. Qua de re infra dicendum erit. Caeterum in muneribus et legationibus, quibus functus est, perpetuo fere cum primariis ejus aetatis viris egit, et commercium habuit. Ne repetamus, quae supra de Demetrio Seleuci filio diximus, provo-

ca-

camus jam ad notitiam, quam habuit Ortiagontis Gallorum Asiaticorum regis, et pudicae ejus uxoris Chiomarae, l. XXII. c. 21. Q. Marcii Cos. l. XXVIII. c. 10. seqq. Menylli Ptolemaei Philometoris ad Romanos legati, l. XXXI. c. 20. Catonis l. XXXV. c. 6, Mummii Achaici, l. XL. c. 8. aliorum, quos omnes hic recensere, longum sit. Sic igitur a teneris inde annis optimorum quorumque hominum familiaritate fructus est, atque ejusmodi quidem illâ, ut ad politicam rerum conditionem perspiciendam, atque historiam conscribendam, mirabiliter ei prodesset.

§ IV.

De peregrinationibus Polybii.

Ad has rerum cognoscendarum opportunitates accesserunt peregrinationes, quas et multas et varias suscepit Polybius. Primum γνώσεως ἕνεκα καὶ θέας, *visendi ac cognoscendi studio ductus*, ad Alpes se contulit, quo verius de Hannibalis expeditione statuere posset, l. III. c. 48. et antiquorum de his regionibus errores corrigeret: tum Africam, Hispaniam, item Galliam, et regiones vicinas, haud sine magnis peri-

 ri-

riculis et laboribus, peragravit. An vero Polybius in Galliam atque Hiſpaniam Scipionem comitatus fuerit, de eo ſub judice lis est. Scipio ſane anno V. C. 603. ſub Lucullo in Hiſpania meruit. Conſtat etiam liberrimam Polybii fuisſe cuſtodiam, ita ut, quo minus Scipioni adesſe potuerit, nullam idoneam cauſam videamus. Ast nos vitam Polybii non ſcribentes, ſed opportunitates tantum ad bene res cognoſcendas indagantes, haec aliis dijudicanda relinquimus. Nobis ſufficiat firmis indiciis tenere, ipſum ſive cum Scipione durante exſilio, ſive post annum V. C. 604, per Galliam Hiſpaniamque iter fecisſe; ut patet ex L. III. c. 59. Minus dubium est, eum una cum Scipione in Africam profectum fuisſe, cum is anno U. C. 607. Carthaginem expugnaturus exercitum eo trajiceret. Vid. Schweigh. teſt. de vita cet. VI. 3. Neque ita multo post peregrinationem ſuſcepit in Aegyptum, regnante Ptolemaeo Phyſcone, vid. l. XXXIV. c. 14. E quo loco haud obſcure quis eliciat, eum in Aegyptum iter ſuſcepisſe post annum U. C. 608., quo Phyſcon fratri ſuo Philemetori ſuccesſit. Quominus vero fidem iis habeamus, qui volunt, eum tunc temporis iter in Aegyptum inſtituisſe, cum Scipio legationis cujusdam no-

nomine in ea loca mittebatur, nos impedit locus Ciceronis Quaest. Acad. II. 2. ubi diserte traditur, in illa nobili legatione, P. Africano Panaetium unum omnino comitem affuisse. Magis constat, Polybium loca Asiae minoris obiisse. Testatur enim, L. XXII. c. 21. se Sardibus cum Ortiagonte et Chiomara, (de quibus supra me agere memini) sermones contulisse.

Caeterum animadvertamus, facilius eum itinera haecce peragere potuisse, quam antecedentis aevi homines. Peregrinatus est enim eo tempore, quo Asia per Alexandri dominatum, et reliquae pleraeque orbis partes per Romanorum imperium terra marique omnibus patebant. Haec autem superioribus saeculis longe aliter se habuisse cum nemo non sua sponte intelligit, tum ipse fatetur Polybius, l. III. c. 58.

Quod si haec omnia reputamus, majoresne dicamus Historico obtingere posse rerum bene cognoscendarum opportunitates, quam obtigerunt Polybio? Sive enim ejus aetatem consideramus: eo vixit tempore, quo propter mutuum populorum commercium res totius orbis inquirere potuit. Sive ejus vitam respicimus; tota haec fuit apta ad politicam saeculi sui conditionem rite tenendam. Sive etiam homines

attendimus, quibuscum commercium habuit: eos habuit, a teneris inde, amicos et familiares, qui ipſum ad haec ſtudia excitarent, atque ad optima ejus aetatis monumenta cognoscenda adducerent. Sive denique Geographiae notitia agitur: maximam orbis partem peregrinando peragravit, atque ita de quibus ſcripſit populis, hos ipſe et vidit fere omnes, et cognovit.

Caeterum ſi his opportunitatibus aptus fuit Polybius ad eximium quid et novum in conſcribenda hiſtoria praeſtandum; ne tamen iccirco antecedentes Hiſtoricos, ſi minus effecerint reprehendamus aut culpemus. Nam quae Polybio contigerunt ſubſidia et opportunitates, illis magnam partem deſuerunt. Quocirca hic, minoribus etiam ingenii facultatibus praeditus, plus praeſtare, quam illi, potuit. Ipſe hoc ingenue fatetur de ſua geographiae ſcientia; quam ſi antecedentis aevi Hiſtorici minorem habuerint, non reprehendendos eos iccirco exiſtimat, ſed laudandos etiam, quod talibus temporibus, aliquid ſaltem iis de rebus cognoverint, L. III. c. 58. „ Nam quum om„ nes, certe quam plurimi rerum ſcriptores, „ extrema orbis cogniti enarrare ſint conati, „ quae locorum natura, qui ſitus: in multis „ autem plerique illorum erraverint; nequa-

„ quam

„ quam ſane praetermitti illorum errores de-
„ bent: ſed confutare illos oportet: neque id
„ obiter, aut carptim, verum ex profeſſo:
„ confutare autem ſic, non ut auctores incu-
„ ſes, aut in eos inveharis; ſed laudes potius,
„ et quae fuerint ab illis ignorata corrigas:
„ itaque apud te cogites, etiam illos, ſi ad
„ hanc aetatem perveniſſent, multa quae
„ ſcripſerant fuiſſe emendaturos et mutatu-
„ ros. — Etenim ſuperioribus quidem
„ temporibus paucos Graecorum invenias,
„ qui extrema orbis noſtri curioſius inveſtigare
„ fuerint aggreſſi: quoniam facultas ejus rei nul-
„ la erat: mare quippe navigantibus multa ea-
„ que ferme innumera pericula imminebant,
„ neque minora terra euntibus. Sed ſi quis
„ etiam neceſſitate compulſus, aut ultro ad fi-
„ nes orbis perveniſſet, ne vel ſic quidem
„ multum profecerat. Nam in plerisque exa-
„ minare omnia difficile est, quod loci vel in
„ barbariam degenerarunt, vel jacent deſerti.
„ Ut autem de iis, quae videras, ſermone cum
„ aliis conferendo docearis; id propter ſermo-
„ nis diverſitatem difficilius etiam erat. Quin
„ et ſi quis locorum notitiam haberet, omni-
„ um tamen difficillimum erat aliquem ex iis,
„ qui longinquas oras perluſtraverant invenire
„ modeſti ingenii virum, qui ſpretis miraculo-

„ rum figmentis atque portentis, ipſum propter „ ſe verum anteponeret falſo, et res uti ſunt „ narraret, neque de ſuo quicquam adderet".
Et profecto eo magis celebrandus est parens Hiſtoriae Herodotus, qui haſce difficultates ſuo jam tempore magnam partem ſuperaverit.

§ V.

De hiſtorica Polybii fide.

Et hinc jam praeclare quis exiſtimet de hiſtorica Polybii fide. Quo vero plenius de ea judicemus, tenendum est, eum Romani exſilii occaſione ſermonem Latinum addidicisſe, l. III. c. 22. Quo factum ut Latinos etiam Hiſtoricos, e quibus Fabium frequentisſime citat, lectitaverit, et horum demum lectione de rebus Romanorum certior fieri potuerit. Tum etiam copiam nactus est ad monumenta quaedam publica inſpicienda, uti jam verbo monuimus. Libros cenſuales commendatione Scipionis Aemiliani ex aede Capitolina utendos accepit. Foederum atque legatis reſponſorum archetypa examinavit, l. III. c. 26. Incidit item, ut ipſe testatur, l. III. c. 33, in tabulam aeneam ab Hannibale ſcriptam, cum is in Italia verſabatur. Ita ex optimis ſummaeque au-

auctoritatis fontibus historiam haurire potuit. Et vero diligenter etiam iis usus est. Sic, ne plura memoremus, foedera inter Romanos et Poenos diversis temporibus icta, refert l. III. c. 22, 24, 25. Scta saepius tradit, uti l. XXVIII. c. 27. et l. XXXIII. c. 16. et mandata legatorum, quos Aratus ad Antigonum misit, l. II. c. 49. Suspicetur etiam aliquis, libros eum Punicos legisse: quanquam certum hujus rei documentum equidem non inveni. Nam Fabricii opinio, Punice eum intellexisse, hoc tantum fundamento nititur, quod Hannibalis illam tabulam legerit. Atqui interprete etiam adhibito cognoscere ejus argumentum potuit. Ut ut est, e dictis facile patet, nihil fere ad accuratam veramque condendam historiam ei defuisse.

Verum tamen, in summa rerum cognoscendarum copia et facultate, possit Historicus praejudicatis opinionibus duci, quibus historica ejus fides et veritatis lux tollatur tota. Tot enim latent in gentium Historia loci periculosi et quasi scopuli, in quibus haud raro prudentiores etiam scriptores naufragium fecerunt. Tanta solet esse vis opinionum praejudicatarum, ut falsa veri specie haud raro obducantur. Amor patriae nisi prudentur regatur, solertiorem etiam ad civium vitia animadvertanda coecare solet. Su-

 per-

perſtitio, cognatio, affinitas, munera, innumeraque alia inducunt ſaepe homines, ut nubem pro Junone amplectantur. Atqui haec omnia magnam facile vim in Polybium habere potuerint: quippe qui ſui ipſe temporis Hiſtoriam conſcripſerit et principes pleroſque viros cognatos et amicos habuerit. Opportuna haec ei fuerunt, ut ſupra obſervavimus, ad interiorem rerum cognitionem: ſed eadem item facile, partium ſtudio, judicium ejus corrumpere potuerint. Ego vix putem, poſſe aliquem dubitare de fide Polybii. Quis unquam ſcriptor impenſius ubique veri ſtudium laudavit? quis unquam hoc ſtudio magis ipſe ductus eſt? Ne vero ipſe praejudicatis opinionibus abreptus videar, age, pauca candoris Polybiani exempla afferamus.

Aratum Sicyonium, Achaici foederis ἀρχηγὸν καὶ καθηγεμόνα (uti loquitur l. II. c. 40.) per totam ſuam ſcriptionem admiratur, ſummiſque effert laudibus. Et is fuit profecto Aratus, quo merito gloriarentur Graeci. Nihilominus tamen ejus peccata non reticet: nimis eum tardum in conſiliis capiendis judicat, et ad armorum conſpectum facile trementem. Quin etiam non dubitat eum cladis ad Caphyas acceptae unicum auctorem nominare. Philippum, Demetrii filium, etiamſi ſummis Achaeos injuriis affecit, ſummopere ſubinde laudat, vehementer aliquando reprehendit, utrumque vero

ita,

ita, ut fidem faciat. Agathoclem Siciliae tyrannum maximorum ſcelerum reum judicat, neque ideo bona ejus facinora in lucem protrahere dubitat. Sed candoris Polybiani hoc ſit inprimis argumentum. Lycortae, ejus patri, negotium dederant Achaei, ut foedus cum Aegyptiis antea ictum renovaret. Hic autem quum de re peracta referebat, referentem interrogavit Ariſtaenus, ecquodnam foedus renovatum esſet? Lycortas, quod reſponderet, non habuit. Scilicet non animadverterat, pro diverſis temporum rationibus varias conditiones Achaeos iniisſe. Quid igitur Polybius? Candide patris negligentiam tradidit, atque ita tradidit, ut Hiſtoricum decebat.

Tandem, ut pateat, quam alienus fuerit a ſuperſtitione, operae pretium est, locum claſsicum, eumque integrum adducere l. XVI. c. 12. „Urbs, „ inquit, Jasſenſium in ora Aſiae ſita est ad ſinum, „ qui ab altera parte Neptuni fano terminatur, „ in Mileſiorum ditione poſito, ab altera Myndi„ orum urbe, et (a nonnullis quidem Jasſius) a „ plerisque Bargylieticus appellari ſolet, appel„ latione indita ab iis urbibus, quae in ejus reces„ ſu ſunt conditae. Hi primam ſibi generis origi„ nem fuisſe ab Argivis gloriantur, proximam „ a Mileſiis; quum majores ipſorum post ingen„ tem bello Carico acceptam cladem civium,

 „ ſi-

,, filium Nelei, qui Miletum coloniam deduxe-
,, rat, in ſuam accivisſent urbem. Oppidi magni-
,, tudo est decem ſtadiorum. Fama est, eaque
,, apud Bargylietas vera habetur, ſimulacrum
,, Dianae Cindyadis neque ningi unquam, neque
,, complui: quod etiam de Vesta apud Jasſen-
,, ſes dicitur. Neque deſunt, ex Hiſtoriae
,, ſcriptoribus etiam, qui haec in literas retu-
,, lerunt. Ἐγὼ δὲ πρὸς τὰς τοιαύτας ἀποφάσεις τῶν
,, ἱςοριογράφων ὀυκ οἰδ᾽ ὅπως παρ᾽ ὅλην τὴν πραγμα-
,, τείαν ἐναντιούμενος καὶ δυσανασχετῶν διατελῶ. Δοκεῖ γὰρ
,, μοι τὰ τοιαῦτα παντάπασι παιδικῆς ἶναι [ἀπειρίας] ὅσα μὴ
,, μόνον τῆς τῶν ἐυλόγων ἐκτὸς πίπτει θεωρίας, ἀλλὰ
,, καὶ τῆς τοῦ δυνατοῦ. *Ego vero dictis hujusmodi*
,, *eorum, qui res geſtas ſcribunt, neſcio quo mo-*
,, *do per totum hoc opus non posſum non obſiſte-*
,, *re, et impatientisſime illa ferre. Nam equi-*
,, *nem puerilis utique levitatis duco ejusmo-*
,, *di ea, quae propius couſiderata non ſolum a*
,, *ſana ratione recedunt, ſed etiam ab eo, quod*
,, *fieri potest.* Dicere enim quaedam corpora in
,, lumine poſita umbram non efficere, hominis
,, est mente capti. Quod tamen Theopompus
,, fecit, qui auctor est, eos, qui in templum
,, Jovis in Arcadia, quod nemini adire licet, fu-
,, erint ingresſi, umbrae expertes reddi. Cui
,, ſimile est, quod modo dicebamus. Enim
,, vero in iis quidem, quae ad conſervandam
,, vul-

„ vulgi pietatem erga divinum numen perti-
„ nent, nonnullis fcriptorum venia danda, fi
„ miraculorum narrationibus et id genus fabu-
„ lis indulgeant: verumtamen, quod modum
„ excedit, id illis non condonandum. Et est
„ quidem fortasfe in omni re difficile, terminum
„ invenire, ubi fistas, non plane tamen ejus
„ inveniendi negata est facultas. Itaque meo
„ judicio his detur venia, qui ignorantia falfisve
„ opinionibus veri tramitem non nifi leviter
„ deferuerunt: fin autem res modum penitus
„ excesferit, repudianda cenfetor".

CA:

CAPUT SECUNDUM.

De acumine et judicio, quo valuit Polybius, ad rerum causſas inveſtigandas, ipſasque res perſpiciendas.

De eximiis fortunae adjumentis, quae Polybio, ut Hiſtorico contigerunt, ſuperiori capite actum est. Quo autem modo his omnibus uſus fuerit ad Hiſtoriam ſuam adornandam, paullo enucleatius explicandum videtur. Parum enim Hiſtorico prodest explorandi occaſio, rerum cognitio, veri ſtudium, niſi conjuncta haec ſint cum indagandi ſagacitate et judicandi ſubtilitate. Neque nuda tantum factorum narratione munus Hiſtorici abſolvitur; ſed exponendis etiam receſſibus et penetralibus ingeniorum humanorum, et cauſſis rerum atque originibus bene explorandis. Quod egregie perſpexit *Cicero de Orat. l. II. c.* 15, de legibus primariis Hiſtoriae agens, „ Rerum ratio, inquit, ordinem tempo-
„ rum deſiderat, regionum deſcriptionem: vult

„ eti-

„ etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque „ dignis, confilia primum, deinde acta, poftea „ eventus exfpectantur, et de confiliis fignifica- „ ri, quid fcriptor probet, et in rebus gestis „ declarari, non folum quid actum aut dictum „ fit, fed etiam quo modo: et cum de eventu „ dicatur, ut causfae explicentur omnes, vel „ cafus, vel fapientiae, vel temeritatis: homi- „ numque ipforum non folum res gestae, fed „ etiam, qui fama ac nomine excellant, de cu- „ jusque vita atque natura."

Diu autem multumque cogitanti, quo tandem rerum ordine et qua difpofitione haec disquifitio de Polybio optime fieri posfet; haec tandem ratio prae caeteris mihi placuit, ut primum generatim disquirerem de fagaci Polybii ingenio, causfas rerum etiam remotisfimas indagante, et, quandoquidem ad caufas has perfpiciendas ipfasque res bene judicandas haud mediocris requiritur ingenii humani multarumque rerum peritia, progrederer deinceps ad confiderandam cum naturae humanae, gentium, fingulorumque hominum notitiam, tum Politicae, Tacticae, ac rei militaris peritiam, qua valuit Polybius.

§ I.

§ I.

De Polybii solertiâ in rerum caussis indagandis.

Caussas rerum bene indagare, res est, uti utilitatis, sic etiam laboris plena. Prout enim flumen a minimo saepe fonticulo in reconditis montium saltibus originem ducit, atque innumeris rivulis confluentibus, per multas ambages longosque anfractus, fluminis tandem formam atque efficaciam accipit: ita etiam rerum et factorum fontes saepe ultimis in penetralibus cordis humani, vel in conjunctione variarum caussarum quaeri debent. Ad ea igitur eruenda non minus acri judicio, quam indefesso labore opus est. Ast simul nihil utilius vel fructuosum magis, ejusmodi investigatione dici invenirive potest. „ Fere enim mortales, ut ait Polybius „ *l. III. c.* 31., rebus praesentibus sese ac„ commodant, et mimum una cum aliis agunt; „ ut ex factis dictisve singulorum, quae sint il„ lorum voluntates quove inclinent animi, ap„ prime sit difficile cognoscere: adeo occur„ runt multa, quae veritatem tenebris conte„ gant. At majorum gesta exitu ipso sese pro„ dunt, et voluntates ac cogitationes cujusque „ vere palam faciunt: eademque nobis osten-

„ dunt,

„ dunt, a quibus gratiam, beneficium, auxi-
„ lium ſperare, a quibus contraria metuere de-
„ beamus. Ex quo ſaepe in multis est intelli-
„ gere, quis tuos caſus ſit miſeraturus, cui
„ iram facta tibi injuria ſit expreſſura, quis de-
„ nique in auctorem injuriae ſit animadverſu-
„ rus. Quae omnia ad communem hominum
„ vitam qua privatim; qua publice magno in-
„ primis ſubſidio eſſe queant. Quamobrem,
„ nec qui ſcribunt nec qui legunt Hiſtorias,
„ tantopere ad ea, quae ſunt geſta par est at-
„ tendere, atque ad ea, quae ante acciderant,
„ quae ſimul evenerunt, aut res tranſactas ſunt
„ conſecuta. Ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί,
„ καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη; καὶ τὸ πραχθὲν πό-
„ τερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος· τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς,
„ ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται· καὶ παραυτίκα
„ μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παρά-
„ παν. *Quippe ſi tollas ex Hiſtoria, quare, quo*
„ *modo, quo fine, quidque fuerit actum; et quam*
„ *convenientem exitum res geſta habuerit: quod ſu-*
„ *pereſt illius, merum certamen eſt, non autem*
„ *ſchola eruditionis: et in praeſens quidem oble-*
„ *ctationem; in poſterum vero utilitatem nullam*
„ *omnino affert*". — Et eandem hanc cauſſarum
inquiſitionem, alio loco inter primarias Hiſtoriae
leges refert, ἀκμὴν γὰρ; inquit l. l. c. 32, Φα-
μὲν ἀναγκαιότατα μέρη τῆς ἱστορίας εἶναι, τάτ' ἐπιγινόμενα
τοῖς

τοῖς ἔργοις καὶ τὰ παρεπόμενα, καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὰς αἰτίας. „*Siquidem, ut modo dicebamus, partes* „*ſunt Hiſtoriae inprimis necesſariae, quae* „*post res gestas ſunt ſecuta, aut easdem dum* „*gererentur comitata: maxime autem causſae.*"

Sed videamus, quatenus Polybius ſua ipſe praecepta exſecutus ſit. Et continuo occurrit viri judicium de re, quae uti toti terrarum orbi gravisſima fuit, ita dignisſima ei viſa fuit, cujus causſae explorarentur: dico de bello Punico ſecundo. Recte obſervat, non unicam quandam causſam huic bello initium dedisſe; ſed plures et varii generis, ut in his rebus fieri ſolet. Primam causſam cenſet inveteratum odium Hamilcaris Barcae contra Romanos L. III. 9. Deinde juſtam Carthaginienſium iram, quibus quippe Romani, media pace, Sardiniam abſtulisſent. His adjicit tributum 2200 talentorum, quod aegerrime Romanis ſolvebant Carthaginienſes; tum etiam res prosperas Hamilcaris ejusque ſuccesſorum in Hispania.

Jam examinemus, harum causſarum quae esſe vis potuerit. Hamilcar animum ſervabat invictum, nec pacem petierat, niſi quo valentior deinceps bellum redintegraret. Nam gravisſimo odio et aemulatione in Romanos flagrabat. Jam vero nemo ignorat, quantum dux vel princeps in civitate auctoritate efficere posſit. Quid mul-

multitudinem magis excitat atque exasperat, quam injuriae? Praesertim si cum jactura possessionum, ut in hacce Sardiniae causa, conjuncta sunt? Tributum autem istud eo majore taedio afficiebat Carthaginienses, quum post continua ista bella aeraria fere essent exhausta. Contra vero Hispania, ditissima illa regio, quam tanti aestimaverant antea Phoenices, quanti postea aliquando Americam aestimarunt Hispani, haec igitur regio una omnium videbatur aptissima ad rem pecuniariam restituendam. Jam aderat in hac terra Hamilcar, magnas ibi victorias reportabat, populo immensas divitias pollicebatur, eumdemque simul ira et indignatione adversus Romanos concitabat. Quis tandem haec omnia attendens, dubitare possit, quare Carthaginienses bellum renovaverint?

Sed observandum inprimis, qua diligentia, quo inquirendi studio haec ita exploraverit Polybius. Acute continuo distinguit initium alicujus rei gestae ab ejus causa. Illud vulgo notum est, haec vero in gentium fere indole et historia latet. Et, quo magis argumentum explicet, affert exempla, et acutissime judicat cum de initiis, tum de caussis belli ab Alexandro Magno cum Persis gesti *l. l. c. 6.*, ut et belli Antiochi cum Romanis *c. 7.* Jam opinionem suam postquam patefecit, retrograditur, ac veluti

„ via-

viator, loco excelsô occupato, ad vias, quae illuc eum perduxerunt, respicit: sic etiam Polybius, praesentibus missis negotiis, superiora tempora recenset, Sardiniae ac Siciliae rationem declarat, totum bellum cum Romanis et inprimis cum mercenariis gestum adumbrat, atque ita demum accedit ad belli Punici secundi originem explicandam.

Sed ne hîc etiam subsistit Historicus. Ad examen etiam revocat justitiam belli. Postquam foedera omnia memoravit, quae superioribus temporibus icta fuerunt, et mandata legatorum Romanorum, simul cum responsis Senatus Carthaginiensis tradidit, ut sic ipsi lectores de re judicare possint, post haec, inquam, ita rationem concludit l. III. c. 30. „ Διόπερ, εἰ μὲν „ τις τὴν Ζακάνθης ἀπώλειαν αἰτίαν τίθησι τοῦ πολέμου, „ συγχωρητέον ἀδίκως ἐξενηνοχέναι τὸν πόλεμον Καρχη- „ δονίους. *Quare, si quis belli hujus caus- „ sam Sagunti excidium statuat, concedendum ne- „ cessario, Carthaginienses injuste illud bellum „ suscepisse:* sive pacem Lutatio Cos. factam „ spectes, per quam utriusque populi socios ab „ utrisque tutos esse oportuit: sive pacta cum „ Asdrubale inita, per quae non licuit Cartha- „ giniensibus belli caussa amnem Iberum tran- „ sire. Εἰ δὲ τὴν Σαρδόνος ἀφαίρεσιν, καὶ τὰ σὺν ταύ- „ τῃ χρήματα· πάντως ὁμολογητέον, εὐλόγως πεπολεμη-

„ κέ-

„ κέναι τὸν κατ' Ἀννίβαν πόλεμον τοὺς Καρχηδονίους· και-
„ ρῷ γὰρ πεισθέντες, ἠμύνοντο σὺν καιρῷ τοὺς βλάψαντας.
„ *Sin belli causſam ſtatuas ademtam Sardiniam*
„ *et pecuniam ſimul extortam: fatendum omnino,*
„ *justam Carthaginienſes habuisſe causſam ejus*
„ *belli gerendi, quod duce Hannibale fuit ges-*
„ *tum; occaſione enim invitati, eos ultum iverunt,*
„ *qui per occaſionem temporum ipſis nocuerant*".

Plura afferre exempla ingenii Polybiani primas bellorum causſas explorantis nolimus, ne longiores fiamus. Inprimis cum indolem ſcriptionis Polybianae palam facere nobis tantum propoſuerimus. Qui vero plura cognoscere cupit, legat causſas belli Cleomenici l. II. c. 44. ſeqq. collato l. IV. c. 3. et 13., Numidici l. I. c. 51, 63, 66, 69, 70, belli Achaeôs inter et Aetolos gesti l. IV, pasſim et l. V, usque ad c. 30, belli inter Byzantinos et Rhodios l. IV, c. 45 usque ad 50, belli inter Nabidem Lacedaemoniorum tyrannum, et Achaeos l. XIII. c. 8, belli cum Aetolis et Antiocho l. XVIII. c. 22. belli inter Achaeos et Boeotios l. XXIII. c. 2, de vera causſa belli Romanos inter et Dalmatas l. XXXII. c. 19, et adverſus Ligures l. XXXIII. c. 7.

Idem vero, qui in bellorum causſis indagandis nihil reliqui feciſſe videtur; is in caeteris etiam rebus ſcrutator ſagacisſimus apparet. Si-

ve enim eum sequaris, caussas victoriae alicujus vel cladis investigantem; sive eum rationes tradentem audias, cur haec illave civitas prae caeteris auctoritate vel stabilitate excelluerit; sive denique eum disceptantem legas de caussis morum diversitatis in una eademque gente, vel ejusmodi alia indagantem, ubique ita persuadet Polybius, ut plane nescias solertiam, magis hominis, an vero vim veritatis admireris. De singulis unum alterumve exemplum afferamus.

Et primum consideremus egregiam illam disquisitionem, cur Hannibal ad lacum Thrasimoenum tanta clade Romanos afficere potuerit, l. III. c. 31. 32. Carthaginienses superatis tandem, praeter omnium opinionem, palustribus illis regionibus, (de quibus antea egit) ad loca circa lacum advenerant. Venerant autem fessi, multosque labores exantlati, l. I. c. 78. et 79., adeoque ad proelium, uti videbatur, Romanis minime pares. Quomodo igitur factum, ut Romanos superarint? Prudenter monet Polybius, in hujusmodi rerum difficultatibus, omnia fere a ducibus pendere, Εἴ τις οἴεται ait l. III. c. 81. κυριώτερόν τι μέρος εἶναι στρατηγίας, τοῦ γνῶναι τὴν προαίρεσιν καὶ φύσιν τοῦ τῶν ἐναντίων ἡγεμόνος, ἀγνοεῖ καὶ τετύφωται: „ *Errat*, „ *et caeca mentis caligine laborat*, *si quis inter*

„ *im-*

„ *imperatorias virtutes ullam potiorem ducit, ſo-*
„ *lertia explorandi ingenium atque naturam ducis*
„ *adverſariorum.* Quemadmodum enim, ubi vir
„ cum viro aut ordo cum ordine decertant, eum,
„ qui victoriam reportare cogitet, diligenter
„ attendere opus est, qua ratione compos voti
„ fieri poterit; ſive quid nudum, ſive quid in-
„ tectum ab armis in adverſario deprehendi
„ queat: οὕτω χρὴ καὶ τοὺς ὑπὲρ τῶν ὅλων προεςῶτας
„ σκοπεῖν, οὐχ ὅπου τι τοῦ σώματος γυμνὸν, ἀλλὰ ποῦ
„ τῆς ψυχῆς εὐχείρωτόν τι παραφαίνεται τοῦ τῶν ἐναν-
„ τίων ἡγεμόνος. *Sic eos oportet, qui ſummae belli*
„ *praeſunt obſervare, non quidem ecquid in cor-*
„ *pore appareat; ſed qua parte animi dux hos-*
„ *tium facilius capi queat.* Multi ſiquidem per
„ ignaviam, ſummamque ſocordiam, non pu-
„ blicarum duntaxat rerum curam negligunt; ſed
„ rem familiarem quoque ſuam pesſum ire ſinunt.—
„ Temeritas, ferocia, et praeceps iracundia,
„ uti etiam inanis gloriae ſtudium et fastus,
„ hostibus facilem victoriam praebent; ami-
„ cis ut plurimum perniciem; quum iis
„ moribus praediti homines omnium machina-
„ tioni, inſidiis ac fraudi ſint expoſiti. Quam-
„ obrem ſi quis aliorum peccata posſet cognos-
„ cere, et ea parte eaque via ac ratione hostes
„ aggredi, qua facillime dux illorum est ex-
„ pugnabilis; hic brevisſimo tempore omni-

„ bus potiretur. Καθάπερ γὰρ νεὼς ἐὰν ἀφέλῃ τις
„ τὸν κυβερνήτην, τὸ ὅλον αὐτανδρὶ σκάφος ὑποχείριον γίγ-
„ νεται τοῖς ἐχθροῖς· τὸν αὐτὸν τρόπον, ἐὰν τὸν προεστῶ-
„ τα ἐν πολέμῳ. δυνάμεως χειρώσηταί τις κατὰ τὰς ἐπι-
„ βολὰς καὶ συλλογισμοὺς, αὐτανδρὶ γίγνεται πολλάκις
„ κρατεῖν τῶν ἀντιταττομένων. *Ut enim sublato guber-*
„ *natore navis universa cum ipsis vectoribus*
„ *in potestatem hostium venit: sic, ubi in bel-*
„ *lo hostilium copiarum ducem astu et consi-*
„ *lio circumveneris, non raro universum eti-*
„ *am exercitum in tuam redegeris potestatem*".
Itaque describit Flaminium Romanorum ducem ut ὀχλοκόπον μὲν καὶ δημαγωγὸν τέλειον, ad rem vero bellicam agendam prorsus ineptum. Hannibalem inducit, ut strenuum militem, prudentem ducem, omnia praevidentem, callide temporibus utentem. Et ex hac ducum diversitate continuo patet, Romanos resistere Carthaginiensibus non potuisse. Plura hujusmodi exempla exstant l. III. c. 70–73. c. 110. seqq. l. IV. c. 11. 12. et inprimis c. 14. l. XVIII. c. 11. alibi.

Neque minus prudenter caussas investigat et tradit, cur Achaeorum civitas toti Peloponneso, ne dicam toti Graeciae, auctoritate antecelluerit l. II. c. 38 seqq. Hoc loco in Polybio agnoscimus perspicacissimum ingenium, ad gravissima dijudicanda negotia aptissimum. Vere sta-

statuit tantas res non casu et forte, neque e levibus quibusdam caussis existere solere, sed ex interiore gentium indole et ratione esse repetendas. Iccirco totam ab initio Achaeorum historiam percurrit, varia eorum fata perlustrat, primaria gentis studia declarat, et inde tandem conficit, caussas auctoritatis Achaicae positas esse in libertate, juris aequalitate, legum prudentia. Quae omnia eo majorem vim in hunc populum habere debuerunt, quandoquidem iisdem Reipublicae institutis summa semper constantia usus fuit.

Caeterum caussas subinde affert Polybius, de quibus alii, recentiores certe, scriptores ne cogitaturi quidem fuissent: Luculentissimum habemus hujus rei exemplum in disquisitione, quare Cynaethenses a caeteris Arcadibus morum feritate tantopere diversi fuerint, loco pulcerrimo et exquisitissimo l. IV. c. 20, 21. Uti Polybio, sic etiam cuique, mirum videri debuit, hanc inter Arcades unam fuisse gentem ferocia et austeritate notatam: inter Arcades dico, morum lenitate et comitate inter Graecos nobilissimos. Hujus rei caussam indagans invenit eam in neglectu musices. Mirum hoc sane multis videatur, qui antiquos quidem Graecos non satis noverint, musicam tantam vim habere in mores hominum, ut hujus neglectus, caussa ferocitatis et austerita-

 tis

tis jure dicatur. Verum hic animadvertere liceat, comparationem non instituendam esse cum nostris temporibus et civitatibus politioribus. Nam uti stultum sit, omnem leniendi vim musicae denegare, ita stultius etiam, tantum hodieque ei tribuere, ut musicâ neglectâ, civitatem in barbariam recasuram esse, existimaremus. Scilicet Arcades isti unicum praesidium culturae in sensibus externis habebant: nos item in facultatibus mentis, quae ab intellectu et ingenio censentur. Illis enim deerat, quae nobis fere contingit, harum facultatum per institutionem exercitatio: quo fit, ut altero neglecto culturae instrumento, alterum tamen integrum servemus, nec omni plane humanitate destituti simus. Et vero mira esse debuit musicae vis in antiquos illos Graecos, quippe qui, paucis exceptis, toti ad musicam nati fuerint, atque ad mores potissimum leniendos temperandosque eam tractaverint. Sed afferendâ hujus ferociae caussâ non contentus est Polybius, rationes etiam more suo addit, quare ita existimet. „ Ταῦτα δή [τὰ „ τῆς μουσικῆς] μοὶ δοκοῦσιν οἱ πάλαι παρεισαγαγεῖν, οὐ „ τρυφῆς καὶ περιουσίας χάριν. *Quae quidem*, „ (musicae studia) *videntur mihi instituisse* „ *antiqui, non ad luxum, nec ex superva-* „ *cuo:* sed quia cernerent, singulos Arcadum „ manibus victum quaerere, et ut paucis di- „ cam,

„ eam, vitam agere laboriosam ac duram: tum
„ quia notam haberent austeritatem morum,
„ quam ipsis conciliat aëris temperies, qua in
„ plerisque locis utuntur frigidiore et tristiore;
„ quum ita sit natura comparatum, ut coelo
„ habitationis consimiles necessario omnes eva-
„ damus. Haec namque, non alia caussa ulla est,
„ cur pro varietate nationum, et ut quaeque
„ invicem longissimis distant intervallis, ita plu-
„ rimum invicem, moribus, formis, coloribus,
„ maxima denique parte institutorum, mortales
„ differamus. Ut igitur naturae rigorem hunc
„ torvitatemque ac duritiem, aliquo tempera-
„ mento emollirent; ea, quae jam commemo-
„ ravimus in usum invexerunt: praeterea com-
„ munibus conventibus et sacris quam plurimis
„ viros pariter ac mulieres assuefecerunt: pue-
„ rorum insuper ac puellarum una saltantium
„ choros instituerunt: et ut verbo expediam,
„ quo possent durum illud atque ingratum ani-
„ mi robur cultura morum mansuefacere ac
„ mitigare quidvis sunt moliti. Haec ergo,
„ quum penitus neglexissent Cynaethenses, qui
„ praesertim, quod ex omnibus Arcadibus coe-
„ lo utantur et solo longe ingratissimo, hoc
„ subsidio prae caeteris indigebant; quumque
„ contra ad mutuas offensiones, et acres con-
„ tentiones, animos convertissent; ad extremum

„ usque eo sunt efferati, ut neque majora, neque
„ frequentiora summae impietatis scelera in ulla
„ Graecanicarum urbium exstiterint. — Haec
„ dicta nobis sunto, ne, propter unam civita-
„ tem, communes Arcadum mores temere ac-
„ cusentur: simul, ne forte aliquis populorum
„ Arcadiae, ratus studia musicae ex supervacuo
„ ad delicias apud ipsos coli, negligere eam
„ disciplinae partem incipiat: postremo vero,
„ ipsorum quoque Cynaethensium caussa; ut si
„ quando clementius cum ipsis egerit deus, ad
„ studia disciplinarum conversi, praecipue autem
„ ad eam partem, quae circa Musicam versatur,
„ ipsi sese mansuefaciant, ὄυτω γὰρ μόνως ἂν λή-
„ ξαιεν τῆς τότε περὶ αὐτοὺς γενομένης ἀγριότητος.
„ *Nulla enim alia ratio est, qua veterem illam*
„ *superiorum temporum feritatem possint exuere.*"

§ II.

De interiore notitia, qua valuit Polybius, cum naturae humanae, tum gentium, tum etiam singulorum hominum.

Gentium Historiam qui conscribere cupit, nisi rerum humanarum rationem humanaeque naturae indolem probe perspexerit, haud facile operae pretium facere possit. Haerebit enim con-

ti-

tinuo in factis gentium hominumque judicandis, factorumque cauſſis explicandis. Quocirca res geſtas nec facile, nec perſpicue, nec probabilitate quadam enarrare poterit.

De philoſophica hac Polybii virtute ut vere judicetur, non longis verborum ambagibus neque ſubtilibus demonſtrationibus opus erit. Servat fere Polybius hanc rationem, ut narrationi inmiſceat ſubinde praecepta, admonitiones, conſilia, brevia illa quidem, ſed eo efficaciora, atque ex interiore naturae humanae cognitione ducta. Quandoquidem autem magis haec ſenſu percipienda, quam rationibus probanda ſunt, exemplis tantum adducendis defungemur.

Enarrata graviſſima illa clade, qua Regulus affecerat Carthaginienſes, inducitur, l. I. c. 32, Xanthippus Lacedaemonius, Carthaginem veniens, et in media populi corona uniuscujusque dolorem et trepidationem videns. Auſterus Spartanus, gravitate ſua et ſeveritate circumfuſam multitudinem advertit, tenet, ad ſui admirationem adducit: Laconice de re judicat: Poenos non a Romanis, ſed ipſos a ſe, ducum imperitia, victos eſſe pronunciat. Et quam vim haec oratio in populum habet? eam ſcilicet, ut prudenter monet Polybius, quam διὰ τὴν πε-

ρι-

ρίγασιν, *propter res adverſas*, fere habent ejusmodi Orationes. Homo adverſis rebus afflictus in deſperatione ſua pronus est ad quaevis remedia amplectenda, et fidem habendam iis, qui ſive bene, ſive male aliquid ſuadent. Sic etiam tunc Carthaginienſes crediderunt Xanthippo, immo ſtatim ei ſummam rerum tradiderunt.

Digna est etiam, quae hic memoretur, Polybii obſervatio de lubrica Reguli, quamvis victoris, conditione. „ Hic vero
„ multa, inquit, ſi quis recte obſervet, inve-
„ niet accidisſe ad corrigendos vitae homi-
„ num errores profutura. Καὶ γὰρ τὸ διαπιστεῖν
„ τῇ τύχῃ καὶ μάλιστα κατὰ τὰς εὐπραγίας, ἐναργέστατον
„ ἐφάνη πᾶσι τότε διὰ τῶν Μάρκου συμπτωμάτων.
„ *Etenim fortunae non confidendum esſe, prae-*
„ *ſertim in rebus laetis, per ea quae M. Re-*
„ *gulo acciderunt, omnibus tunc factum est ma-*
„ *nifeſtum.* Nam qui paullo ante nullum
„ miſericordiae locum dabat, neque ullam affli-
„ ctis veniam concedebat: mox ductus ipſe est,
„ iisdem pro ſalute ſua ſupplicaturus. Jam por-
„ ro, quod recte olim dixit *Euripides*, Ἓν σοφὸν
„ βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ, *Mens una ſa-*
„ *piens plurium vincit manus*, ex ipſis rebus
„ manifeſtam tunc fidem invenit. Unus quip-
„ pe vir, et conſilium unum, legiones, quae

„ pro-

„ propter ſolertiam ac praeſtantiam in re mili-
„ tari vinci non posſe credebantur, delevit;
„ civitatem vero illam, quam penitus conci-
„ disſe palam erat, et fractos deſperatione ani-
„ mos militum, recreavit atque erexit."

Galli Ciſalpini ita a Romanis caeſi fuerant, ut pacem rogare ſupplices debuerint. Res deinceps ſuas compoſuerant, et pacis ſecuritatem belli vicisſitudinibus praepoſuerant, probe intelligentes, Romanis ſe minime pares esſe. Poſtea vero accidit, ut obſervat Polybius, ὃ φύσιν ἔχει γίγνεσθαι, „ *quod ex humanae naturae ra-* „ *tione fieri ſolet*". Praeterita quo longius a noſtra memoria remota ſint, eo levius nos tangunt, et ducuntur fere homines rerum novarum ſtudio. Post 40 fere annos, mortuis, qui ſuperioribus periculis interfuerant, ſuccedens progenies, adverſam fortunam nondum ipſa experta, praeſentem rerum ſtatum ſumma temeritate ſollicitare et adverſus Romanos leves ob causſas ſe opponere auſa est, l. II. c. 21.

Hannibal l. III. c. 15, occurrit proſpera fortuna in Hiſpania utens, plerisque gentibus ejus dicto jam audientibus. Saguntini vero, ut verbis Polybii utar, Romanis parentes, crebros Romam nuntios mittebant, cum, quia futura proſpicientes de re ſua erant ſolliciti, tum quia no-

nolebant, Romanos ignorare prosperam Poenorum fortunam in Hispania. Romani saepe eorum nunciis neglectis, tandem mittunt, qui rem explorent. Veniunt legati Novam Carthaginem, quo Hannibal hibernatum se receperat. Ibi legatos de mandato negotio disserentes audit. Audit vero ut juvenis militari audacia plenus, urgens incepta sua, ira magis praecipiti, quam ratione ductus, et jam pridem concitatus ad inimicitias cum populo Romano exercendas. Iccirco belli cupidine flagrans, missis veris (quae omnino aderant) belli caussis, ad praetextus injustos confugit, ὅπερ, addit Polybius, εἰώθασι ποιεῖν, οἱ διὰ τὰς προεγκαθημένας αὐτοῖς ὁρμὰς ὀλιγωροῦντες τοῦ καθήκοντος. *Sicuti illi facere „ consueverunt, qui insitis affectibus occupati, „ nullam honesti rationem habent.*"

Tandem, liceat unum etiam apponere argumentum, idque luculentissimum plane, et omnino id, quod asseruimus probaturum. Significamus locum illum, quo partes artis imperatoriae sibi declarandas sumit, et hoc agendo simul utilissima cuique homini praecepta proponit, l. IX. c. 12. Quo magis autem loci hujus vis percipi plene possit, totus hic apponendus videtur. „ Multa, „ inquit, circumspectione opus habent, quae „ in bellicae rei inceptis solent usu venire.

„ Po-

„ Potest vero aliquis ſingula, quae inſtituerit, „ perficere, ſi judicium certum ad propoſiti „ ſui executionem adhibuerit. Jam eorum, „ quae in bello geruntur, pauciora esſe, quae „ palam et aperta vi perficiuntur, quam quae „ dolo et per occaſionem patrantur, facile ſit „ cuivis, modo velit, ex rebus antea geſtis cog- „ noſcere. Rurſus autem eorum, quae obla- „ ta occaſione fiunt, plura esſe, quae aliquo „ peccato corrumpantur, iis, quae laetum finem „ ſortiantur, ne id quidem difficile cognitu fue- „ rit, ſi rerum eventus ſpectentur. Illud quo- „ que nemo in dubium vocaverit, eorum, qui „ rebus gerendis praeſunt, inſcitia aut negli- „ gentia plerumque peccata admitti. Quonam „ igitur pacto ejusmodi incepta disponi atque „ adminiſtrari recte queant, conſiderare jam li- „ cet. Enim vero quaecunque in rebus belli- „ cis ſine certo propoſito accidunt, ea non *res* „ *geſtas* appellare convenit, ſed *caſus* potius et „ *fortuitos eventus*. In praeſentiarum igitur il- „ la fortuita, quoniam rationem nullam habent „ ſtabilem, neque ullius artis praeceptis pa- „ rabilem, praetermittantur: atque ea tantum „ explicentur, quae deſtinato conſilio fiunt; de „ quibus hic est ſermo inſtitutus. Quum igi- „ tur omnis actio tempus ſibi definitum ha- „ beat, ſpatio temporis certo conſtat et locq: „ tum

„ tum vero latere etiam debeat, notis item in-
„ digeat vel ſignis, de quibus convenerit, nec
„ non iis, per quos et quibuscum geratur, et
„ modo certo, quo ſit gerenda, palam est,
„ eum, qui ſingulorum horum debitam ratio-
„ nem habuerit, propoſito non aberraturum;
„ ſin vero aliquis unum iſtorum neglexerit,
„ univerſum ejus inceptum fruſtra futurum.
„ Οὕτως ἡ φύσις πρὸς τὰς ἀποτυχίας τῶν ἐπινοηθέντων
„ ἱκανὸν ἓν καὶ τὸ τυχὸν ἐποίησε τῶν κατὰ μέρος· πρὸς
„ δὲ τὸ κατορθοῦν μόλις ἱκανὰ πάντα. *Ita ſcilicet*
„ *comparatum est natura, ut ad fruſtranda*
„ *conſilia unaquaevis, vel leyisſima pars, quae*
„ *de toto abest, ſatis virium habeat; quum ut*
„ *propoſitum asſequaris, vix cunctae ſimul ſuf-*
„ *ficiant.*"

Plura hujus rei argumenta exſtant, l. I. c. 66. l. II. c. 47. l. III. c. 4. 7. 112. l. IV. c. 8. 29. 87. l. V. c. 26. 75. 86. 88. 93. ultimis fragmentis libri VI. l. VII. c. 8. l. VIII. c. 22. 23. 38. l. IX. c. 15. 22. l. X. c. 36. l. XI. c. 3. l. XII. c. 2. l. XV. c. 17. l. XVI. c. 10. l. XVII. c. 15. l. XVIII. c. 24. c. 26. l. XXI. c. 5. l. XXII. c. 9. l. XXIV. c. 9. l. XXVI. c. 4. l. XXIX. c. 6. l. XXX. c. 5. l. XXXII. c. 12. l. XXXIII. c. 3., alibi.

Fructus vero hujus investigationis ſine dubio apud quemque hic erit, ut lubenter ſua faciat

pru-

prudentissimi Casauboni verba in dedicatione p. 28. edit. Gron. „ Plena est Polybii historia „ talium animadversionum, quae brevi compen„ dio lectorem ad prudentiam rectâ ducunt, et „ illius divae sacris initiant. Mirum vero, „ quo studio, qua sollicitudine, quo affectu id „ genus monitiones, quoties datur occasio, in„ serat. Vere philosophum, id est, parentem „ communem humani generis dicas; qui modo „ cunctis mortalibus in universum salutaria di„ ctat praecepta, modo privatim hanc aut il„ lam gentem familiarium sibi peccatorum ad„ monet.”

Sed decet inprimis Historicum, gentes cognoscere, earumque indolem, ingenium, mores, studia explorata habere: si quidem earum proposita, res gestas, vicissitudines apte diligenterque enarraturus sit. „ Quoniam” ipse ait Polybius, l. III. c. 4. „ de victoribus „ aut victis (populis) quid sit sentiendum, ex „ nudo certaminum eventu satis recte judicari „ nequit, quod multis res secundissimae, qui„ bus convenienter uti nesciverunt, evasere tan„ dem perniciosissimae, nec paucis res adver„ sae, quas generoso animo ferebant, maximas „ saepe utilitates conciliavere; propterea ad res „ gestas, quas commemoravimus, adjicienda „ tractatio fuerit, de eorum, qui vicerunt, insti-

 „ tu-

„ tutis, qualia post victoriam fuerint, et quo-
„ modo orbis imperium administraverint: tum
„ quo affectu ductae fuerint gentes in hos,
„ penes quos fuit imperium, quamve de iis
„ opinionem conceptam habuerint: denique di-
„ cendum, quinam animorum impetus, quaeve
„ studia, apud singulos populos tum in vitis
„ privatorum, tum in publicis consiliis obti-
„ nuerint praecipue viguerintque. — Nam ne-
„ que qui rebus praesunt, neque qui horum
„ facta exponunt, finem rerum agendarum in
„ hoc uno positum esse arbitrari debent,
„ ut vincant et alios sibi subjiciant. Nemo si
„ quidem sapiens eo solo consilio bellum susci-
„ pit, ut a certamine cum hoste superior disce-
„ dat; neque navigantur maria, trajiciendi dun-
„ taxat caussa. Sed ne doctrinarum quidem disci-
„ plinae, aut artes hoc uno proposito addiscuntur,
„ ut cognoscantur. Quin potius faciunt omnes
„ omnia propter voluptatem aliquam, aut decus,
„ aut utilitatem, quae opera demum perfecta con-
„ sequitur. Itaque etiam operis hujus ultima
„ consummatio erit; ut ex eo cognoscatur, quis
„ fuerit singulorum populorum status, post-
„ quam omnes gentes debellatae Romanorum
„ in potestatem devenerunt: donec rursus novae
„ turbae ac motus exstiterunt."

Hanc facultatem nemo non in Polybio admi-
ra-

rabitur, qui interiorem ejus de Achaeis disquisitionem et legerit et perpenderit l. II. c. 38 seqq. Sed longior est ea, quam ut hic apponatur. Praestat ejus sententias adducere de Romanis, breviores fere illas, nec tamen minus exquisitas. Sufficiat autem eas descripsisse tantum, ut integrum lectori judicium relinquatur. Ἴδιον γὰρ statuit l. XXVII. c. 8, τοῦτο πάντῃ παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος καὶ πάτριόν ἐστὶ, τὸ κατὰ μὲν τὰς ἐλαττώσεις αὐθαδεστάτους καὶ βαρυτάτους φαίνεσθαι, κατὰ δὲ τὰς ἐπιτυχίας ὡς μετριωτάτους. „*Est enim hoc perpetui moris Romanorum, quem a majoribus acceperunt, acceptis detrimentis maxime pervicaces et hostibus infestos se ostendere, victoriâ vero partâ, maxime moderatos.*" Et l. III. c. 75, τότε γάρ εἰσι φοβερώτατοι Ῥωμαῖοι, καὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν, ὅταν αὐτοὺς περιστῇ φόβος ἀληθινός. „*Tum enim Romani maxime sunt terribiles, quando praesentis alicujus periculi metu tenentur*". Δεινοὶ γὰρ, observat l. III. c. 112, ἐν ταῖς περιστάσεσι Ῥωμαῖοι, καὶ θεοὺς ἐξιλάσκεσθαι καὶ ἀνθρώπους, καὶ μηδὲν ἀπρεπὲς μηδ' ἀγεννὲς ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ἡγεῖσθαι τῶν περὶ ταῦτα συντελουμένων. „*Solent namque Romani periculosis temporibus miram quandam industriam adhibere ad Deûm hominumque iram avertendam: neque eorum, quae in ejusmodi causis fieri amant, quicquam aut parum decorum, aut parum ex suâ dignitate esse arbitrantur*".

 Por-

Porro l. I. c. 20; de primis Romanorum conatibus agens, ad classem aedificandam et Poenos mari aggrediendos, ἐξ ὧν, monet, καὶ μάλιϛα συνίδοι τις ἂν τὸ μεγαλόψυχον καὶ παράβολον τῆς Ῥωμαίων αἱρέσεως. ὀυ γὰρ οἷον ἐυλόγους ἀφορμὰς ἔχοντες, ἀλλ᾽ ὀυδ᾽ ἀφορμὰς κα. ἅπαξ. ὀυδ᾽ ἐπίνοιαν ὀυδέποτε ποιησάμενοι τῆς ταλάττης· τότε δὴ πρῶτον ἐν νῷ λαμβάνοντες, ὄυτω τολμηρῶς ἐνεχείρησαν, ὥϛε, πρὶν ἢ πειραθῆναι τοῦ πράγματος, ἐυθὺς ἐπιβαλέσθαι Καρχηδονίοις ναυμαχεῖν, τοῖς ἐκ προγόνων ἔχουσι καὶ κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν ἀδήριτον. „ *Ex quo vel maxime magnitudinem* „ *animi Romanorum et in rebus suscipiendis au-* „ *daciam existimare licet. Nam qui appara-* „ *tum, non dicam idoneum, sed omnino nullum* „ *haberent, atque adeo de mari ne cogitassent* „ *quidem umquam ad illum usque diem; tunc* „ *primum et cogitarunt simul, et tam audacter* „ *rem susceperunt, ut, prius quam periculum* „ *ejus fecissent, impetum statim ceperint praelio* „ *navali cum Carthaginiensibus dimicandi, qui* „ *traditum a majoribus maris imperium sine* „ *certamine obtinebant*".

Denique unum etiam, eumque praeclarum, locum afferamus, de superstitione et fide Romanorum, l. VI. c. 15. „ Nulla re ita praestare „ caeteris populis Romanos arbitror, ut opinione „ illa, quam de Diis habent. Atque adeo, quae „ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipsa „ con-

„ continere Rempublicam videtur: anxiam quan-
„ dam dico religionis curam. Ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκ-
τετραγώδηται καὶ παρεισῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ' αὐτοῖς
εἴς τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως, ὥςε
μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν. ὃ καὶ δόξειεν ἂν πολλοῖς εἶναι
θαυμάσιον, ἐμοί γε μὴν δοκοῦσι τοῦ πλήθους χάριν τοῦτο
πεποιηκέναι. „ *Nam usque eo apud has superstitio*
„ *in majus est exaggerata, et cum in privatam*
„ *hominum vitam, tum in publica consilia est*
„ *inducta, ut non queat magis. Quod mirum*
„ *utique multis videbitur: ego vero multitudinis*
„ *caussa ab illis factum existimo.* Enim vero
„ si ex solis sapientibus constitui posset Respu-
„ blica, esset fortasse totum illud genus non
„ necessarium. Nunc quum omnis multitudo
„ sit levis, plena illicitarum cupiditatum, irâ
„ aestuet praecipiti, et ad vim iracundiâ impel-
„ latur: hoc restat, ut incertis terroribus, et
„ hujusmodi tragoediarum figmentis vulgus co-
„ hibeatur. Iccirco videntur mihi veteres,
„ nec temere, nec sine gravi caussâ istas de
„ Diis opiniones, et de poenis apud inferos,
„ in vulgus induxisse: contra autem, teme-
„ re ac sine ratione, qui nunc vivunt, illas
„ rejicere". Τοιγαροῦν, χωρὶς τῶν ἄλλων, οἱ τὰ κοι-
νὰ χειρίζοντες, παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἐὰν ταλάντου
μόνον πιστευθῶσιν, ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα, καὶ σφρα-
γῖδας τοσαύτας, καὶ μάρτυρας διπλασίους, οὐ δύνανται

τηρεῖν τὴν πίστιν· παρὰ δὲ Ῥωμαίοις, κατά τε τὰς ἀρχὰς καὶ πρεσβείας πολύ τι πλῆθος χρημάτων χειρίζοντες, δι' αὐτῆς τῆς κατὰ τὸν ὅρκον πίστεως τηροῦσι τὸ καθῆκον. καὶ παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις σπάνιον ἐστιν εὑρεῖν ἀπεχόμενον ἄνδρα τῶν δημοσίων, καὶ καθαρεύοντα περὶ ταῦτα· παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις σπάνιον ἐστι τὸ λαβεῖν τινα πεφωραμένον ἐπὶ τοιαύτῃ πράξει. „*Itaque, ut alia taceam, qui „publicam pecuniam apud Graecos quidem tra- „ctent, si vel unum duntaxat talentum fuerit „eis creditum, decem rescriptoribus adhibitis, „sigillis totidem, testibus autem duplo pluribus, „fidem tamen ut servent, impetrare ab iis ne- „queas: iidem apud Romanos, quum et in ma- „gistratibus et in legationibus magnam pecuniae „vim tractent, propter unicam juris jurandi „religionem, fidem servant. Et quum apud ali- „os raro aliquis inveniatur, qui publico manus „abstineat, quique ejusmodi sceleris purus sit: „apud Romanos contra, ut manifesti peculatus „aliquis arguatur, raro accidit*".

Tandem quo efficacius Romanorum indolem indicet, comparationem inter ipsos et Carthaginienses instituit, l. VI. c. 56. παρ' οἷς μὲν γὰρ, [τοῖς Καρχηδονίοις] οὐδὲν αἰσχρὸν τῶν ἀνηκόντων πρὸς κέρδος· παρ' οἷς δὲ, [τοῖς Ῥωμαίοις] οὐδὲν αἴσχιον τοῦ δωροδοκεῖσθαι καὶ τοῦ πλεονεκτεῖν ἀπὸ τῶν μὴ καθηκόντων. καθ' ὅσον γὰρ ἐν καλῷ τίθενται τὸν ἀπὸ τοῦ κρατίστου χρηματισμὸν, κατὰ τοσοῦτον πάλιν ἐν ὀνείδει ποιοῦνται τὴν ἐκ τῶν

ἀπει-

ἀνειμένην πλεονεξίαν. „ *Nam apud hos [Carthagien-*
„ *ses] nihil turpe, quod cum lucro sit conjunctum;*
„ *apud illos [Romanos] nihil turpius, quam largi-*
„ *tionibus corrumpi, et malis artibus rem facere.*
„ *Quantum enim laudi ducunt honestis rationi-*
„ *bus congestas opes, tantum divitias parum le-*
„ *gitimis factis cumulasse probro vertunt.* Ar-
„ gumentum hujus rei est, quod Carthagine dig-
„ nitates et honores palam redimuntur; Romae
„ idem fecisse crimen est capitale."

Plura hujus gentium notitiae argumenta praebeat l. II. c. 17. de Gallis Cisalpinis, c. 22. de Gaesatis; l. III. c. 98. de indole Hispanorum in Abilyce patefacta; l. IV. c. 3. de Aetolis, c. 8. de Thessalis, Cretensibus, Achaeis, et Macedonibus, c. 20 et 21, de Arcadibus, c. 30, de Acarnanis et Epirotis, c. 73 en 74, de Eleis; l. V. c. 73, de Selgensibus, c. 86, de Coelosyris; l. VI. c. 46, de Cretensibus, c. 48 et 49, de Spartanis; l. XIV. c. 1, de Numidarum indole; l. XV. c. 33, de Aegyptiis; l. XX. c. 6, de Boeotiis; l. XXX. c. 14, de Aetolis.

„ Absurdum est," judice Polybio l. X. c. 24, „ scriptores de urbium quidem originibus,
„ quo modo, quando et a quibus conditae sint,
„ tum de legum institutorumque ratione, atque
„ de earum casibus cum probabilitate agere a

„ τὰς δὲ τὰ ὅλα χειρισάντων ἀνδρῶν ἀγωγὰς καὶ ζήλους „ παρασιωπᾷν, καὶ ταῦτα τῆς χρείας μεγάλην ἐχούσης „ τὴν διαφοράν. *clarissimorum autem virorum, „ qui rempublicam gesserunt, agendi rationem „ ac studia praetermittere, cum tamen in hoc „ altero longe major sit utilitas.* Nec sane graves has Historici partes ipse neglexit Polybius. Principes quosque et clarissimos viros, quos in historia sua memoravit, ita dicentes agentesque induxit, ita subinde ex industria notavit et descripsit, ut interiorem eorum indolem penitus explicarit. Exemplis sint nobis duo viri, nominis famâ unicuique notissimi, Hannibal et Aratus, in quorum moribus examinandis, quid praestiterit Polybius, haud injucundum erit cognoscere.

Quicunque Aratum ex Graecorum historia paullo accuratius cognovit, agnoscet profecto ejus imaginem ex hoc Polybiano viri characterismo, l. IV. c. 8. Ἄρατος γὰρ ἦν, inquit, τὰ μὲν ἄλλα τέλειος ἀνὴρ εἰς τὸν πραγματικὸν τρόπον· καὶ γὰρ εἰπεῖν καὶ διανοηθῆναι καὶ στέξαι τὸ κριθὲν δυνατός· καὶ μὴν ἐνεγκεῖν τὰς πολιτικὰς διαφορὰς πρᾴως, καὶ φίλους ἐνδήσασθαι, καὶ συμμάχους προσλαβεῖν, οὐδένος δεύτερος· ἔτι δὲ πράξεις, ἀπάτας, ἐπιβουλὰς συστήσασθαι κατὰ τῶν πολεμίων, καὶ ταύτας ἐπὶ τέλος ἀγάγειν διὰ τῆς αὐτοῦ κακοπαθείας καὶ τόλμης, δεινότατος — ὁ δ' αὐτὸς οὗτος, ὅτε τῶν ὑπαίθρων ἀντιποιήσασθαι βουληθείη,

να-

νωθρὸς μὲν ἐν ταῖς ἐπινοίαις, ἄτολμος δὲ ἐν ταῖς ἐπιβολαῖς· ἐν ὄψει δ' οὐ μένων τὸ δεινόν. „ *Erat nempe Aratus vir cetera numeris omnibus absolutus ad „ res gerendas. Nam et eloquendi facultate, „ mente ingenioque, et arte consilia sua tegendi „ praestabat: in dissensionibus civilibus leniter „ ferendis, jungendis amicitiis, sociis alliciendis, „ nemini secundus: in molitionibus etiam oc„ cultis, dolis et insidiis hosti struendis, iisque „ laboris improbi tolerantia audacter ad effectum „ perducendis sollertissimus. — Hic idem tamen „ Aratus, quoties in aperto ducere exercitum „ instituit, tardus in consiliis excogitandis, in „ rebus aggrediendis parum audax fuit; et qui „ eorum, quae terribilia censentur conspectum „ ferre non valeret".*

Sed non contentus est Polybius adumbranda viri imagine. Interius etiam inquirit de hacce in eodem homine morum dissimilitudine οὕτως, ait, αἱ τῶν ἀνθρώπων φύσεις οὐ μόνον τοῖς σώμασιν ἔχουσί τι πολυειδὲς, ἔτι μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς· ὥστε τὸν αὐτὸν ἄνδρα μὴ μόνον ἐν τοῖς διαφέρουσι τῶν ἐνεργημάτων, πρὸς ἃ μὲν εὐφυῶς ἔχειν, πρὸς ἃ δὲ ἐναντίως, ἀλλὰ καὶ περί τινα τῶν ὁμοειδῶν πολλακίς τὸν αὐτὸν καὶ συνετώτατον εἶναι καὶ βραδύτατον, ὁμοίως δὲ καὶ τολμηρότατον καὶ δειλότατον. „ *Adeo naturae hominum non corpo„ ribus tantum, sed multo magis etiam animis, „ e variis velut mixtae sunt formis, ut idem*

„ ho-

„ *homo, partim aptus, partim ineptus invenia-* „ *tur, non dicam ad diversas actiones, verum* „ *etiam ad nonnullas, quae generis sunt ejus-* „ *dem: estque idem saepe ingeniosissimus et* „ *tardissimus; ac similiter audacissimus idem* „ *ac timidissimus.* Neque rem novam aut ab- „ horrentem a communi hominum opinione dici- „ mus; sed quam usu sint experti probeque no- „ rint, quicunque voluerint attendere. Est „ enim invenire nonnullos, qui in venationibus „ ad congressus cum feris sint animosi, quum „ adversus arma atque hostes iidem sint igna- „ vi: alii ad belli usus, quoties viritim et pri- „ vatim res geritur, expediti sunt, atque so- „ lertes, in communi bello et cum aliis in „ acie stantes, sunt inutiles." Quod exemplis deinde confirmat. Caeterum ut egregiam Arati indolem omnibus patefaciat per totam scriptionem praeclarissima quaeque viri facinora tradit, uti l. II. c. 40. seqq. l. IV. c. 19, 24. l. V. passim usque ad c. 30., et c. 91. seqq. l. VII. c. 13, et 14, tum etiam hocce inprimis, Aratum, quamvis haud nescium, venenum se a Philippo accepisse, alios tamen hoc flagitium celasse, ὥςε μᾶλλον ὁ παθὼν τοῦ πράξαντος ᾐσχύνετο τὸ γεγονὸς, „ *ut magis eum qui passus erat, quam fla-* „ *gitii auctorem, facti puderet,*" L. VIII. c. 14.

In-

Insignius sane generosi animi indicium haud facile adduci possit.

In censendis Hannibalis moribus, mirabilis est inprimis Polybii prudentia, cum summo acumine conjuncta. In primariis ejus studiis censet avaritiam. Verum tamen non ex tripode et oraculi instar ita pronunciat. Indicat simul rationes, quibus ad hoc judicium adductus est. Ab ipsis Carthaginiensibus hoc accepisse dicit, acute addens: *ἐπιχώριοι γὰρ οὐ μόνον τὰς τῶν ἀνέμων στάσεις, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν ἐγχωρίων ἀνθρώπων ἤθη κάλλιστα γινώσκουσι.* „*Indigenae enim non modo ventorum stationes, ut* „*proverbio dicitur, sed et popularium hominum* „*mores optime norunt.*" Observat etiam eum *φίλῳ χρῆσθαι φιλαργύρῳ amico usum fuisse avaro* Magone, qui in Bruttiis res administrabat: eoque magis etiam in ejus animo hoc studium ali debuisse. Porro crudelem fatetur et impium vulgo haberi Hannibalem: sed, quominus continuo ad hujusmodi accedat sententiam hac prohibetur animadversione l. IX. c. 26, *ὅτι τὴν Ἀννίβου φύσιν ἡ τῶν πραγμάτων περίστασις ἐβιάζετο καὶ μετετίθετο πολλάκις;* „*rerum atque temporum ratione saepe coactum et mutatum fuisse Hannibalis ingenium.*" Postquam enim „Capua," ita deinceps pergit, „a Romanis in „ditionem redacta est, statim cunctae civitates,

„ani-

„ animis, ut solet, suspensae, occasiones causasque ad Romanos deficiendi circumspiciebant. Quo tempore Hannibal de praesenti rerum statu ambigens, maximis difficultatibus conflictatus fuisse videtur. — Quare cogebatur, alias quidem civitates aperte derelinquere, ex aliis vero praesidium educere, veritus, ne, si novas res molirentur cives, milites simul suos perderet. Quin etiam nonnulla contra foedera violare sustinuit, traductis in alias urbes civibus, atque eorum opibus in praedam concessis. Ἐξ ὧν προσκόπτοντες, οἱ μὲν ἀσέβειαν, οἱ δ' ὠμότητα κατεγίνωσκον. *Ex quibus cum in offensionem plurium venisset, alii impietatem, alii crudelitatem ei objiciebant*". Monet etiam, facinora illa, quae in Italia crudeliter peracta fuerunt, et vulgo Hannibali tribuuntur, adscribenda fere omnia esse alteri cuidam Hannibali, Monomacho dicto, Hannibalis amico. Iccirco de hisce Hannibalis vitiis caute judicandum existimat, et inhibere judicium, quam temerarium pronunciare mavult.

Dignus est, qui hic describatur locus] l. IX. c. 22, unus omnium maxime Polybianam probans in notandis clarissimorum virorum moribus prudentiam. Ἔνιοι μὲν, inquit, ἐλέγχεσθαί φασι τὰς φύσεις ὑπὸ τῶν περιστάσεων, καὶ τοὺς μὲν ἐν ταῖς ἐξουσίαις καταφανεῖς γίγνεσθαι, κἂν ὅλως τὸν πρὸ τοῦ

χρό-

χρόνον ἀναςέλλωνται, τοὺς δὲ πάλιν ἐν ταῖς ἀτυχίαις. Ἐμοὶ δ' ἔμπαλιν οὐχ ὑγιὲς εἶναι δοκεῖ τὸ λεγόμενον· οὐ γὰρ ὀλίγα μοι φαίνονται, τὰ δὲ πλεῖςα, ποτὲ μὲν διὰ τὰς τῶν φίλων παραθέσεις, ποτὲ δὲ διὰ τὰς τῶν πραγμάτων ποικιλίας, ἄνθρωποι παρὰ τὴν ἑαυτῶν προαίρεσιν ἀναγκάζεσθαι καὶ λέγειν καὶ πράττειν. „ *Nonnulli animum uniuscujusque ex fortunâ ac temporibus* „ *maxime deprehendi ajunt; atque hos quidem* „ *in imperio ac poteſtate, illos in calamitatibus* „ *ingenium ſuum prodere, quantumvis antea* „ *texerint. Mihi vero non abſolute verum eſſe* „ *hoc, quod dicunt, videtur. Qui enim magnas* „ *res tractant, nunc amicorum hortatu, nunc* „ *ob varietates temporum ac caſuum, plurima* „ *contra ſuum inſtitutum et dicere et facere co-* „ *guntur*".

De imperatoriâ vero Hannibalis virtute non veretur Polybius libere ſtatuere. Hujus enim documenta ſatis certa exſtant. In conſcribendis rebus belli Punici ſecundi celebrat ubivis ejus ſolertiam, fortitudinem, conſtantiam, caeteras virtutes bellicas, uti l. III. c. 17, 33, 34, 62, 63, 78, 111, et paſſim, l. XV. c. 6, 7, et 19, alibi. Laudat inprimis inſignem ejus in Italia prudentiam, quae poſtea Livio etiam tam admirabilis viſa eſt. Διὸ καὶ τὸν Ἀννίβαν κατὰ πολλοὺς τρόπους ἀγαθὸν ἡγεμόνα κρίνω· κατὰ τοῦτο δὲ μάλιςά τις ἂν ἐπισημήναιτο, διότι πολλοὺς μὲν χρόνους ἐν τῇ πο-

λε-

λεμίᾳ διατρίψας, πολλοῖς δὲ καιροῖς καὶ ποικίλοις χρησάμενος, ἔσφηλε μὲν ὑπεναντίους πολλάκις ἐν ταῖς κατὰ μέρος χρείαις διὰ τὴν ἰδίαν ἀγχίνοιαν, ἐσφάλη δ᾽ οὐδέποτε, τοσούτους καὶ τηλικούτους ἀγῶνας χειρίσας. τοιαύτην ἐποιεῖτο τὴν πρόνοιαν, ὡς ἔοικε, περὶ τῆς ἀσφαλείας αὐτοῦ, καὶ μάλα εἰκότως. ἀκεραίου μὲν γὰρ καὶ σωζομένου τοῦ προεστῶτος, κἂν ποτε πέσῃ τὰ ὅλα, πολλὰς ἀφορμὰς ἡ τύχη δίδωσι πρὸς τὸ πάλιν ἀνακτήσασθαι τὰς ἐκ τῶν περιπετειῶν ἐλαττώσεις· πταίσαντος δὲ, καθάπερ ἐν νηῒ, τοῦ Κυβερνήτου, κἂν τῷ νικᾷν ἡ τύχη τοῖς πολλοῖς παραδιδῷ κρατεῖν τῶν ἐχθρῶν, οὐδὲν ὄφελος γίγνεται, διὰ πάσας ἐξηρτῆσθαι τὰς ἐλπίδας ἑκάστοις ἐκ τῶν ἡγουμένων. „ *Ita-*
„ *que Hannibal quum multis de caussis eximius*
„ *Imperator habendus sit, tum vero hoc inprimis*
„ *nomine admirabilis videri debet, quod, quum*
„ *in hostico tot annos egerit, fortunaeque tot*
„ *tamque varios casus sit expertus, saepe ille*
„ *quidem adversariorum duces minoribus proeliis*
„ *in fraudem, quae fuit ejus solertia, illexit;*
„ *ipse tamen qui tot tantasque pugnas pugnavit,*
„ *deceptus est numquam. Adeo videlicet magna*
„ *providentia securitati suae solitus fuit prospice-*
„ *re. Et merito ille quidem. Nam etsi univer-*
„ *sus fuerit caesus exercitus, incolumis modo sit*
„ *salvusque Imperator, multas interdum fortuna*
„ *occasiones largitur, damna casibus ejusmodi*
„ *accepta resarciendi ac vires reparandi: ubi*
„ *vero fuerit de medio sublatus, velut in navi*

„ *gu-*

„ *gubernator, quamvis fortunae beneficio victo-*
„ *riam exercitus devictis hostibus reportarit, ni-*
„ *hil tamen ea res juvat; eo, quod singuli spes*
„ *suas omnes in ducibus habent repositas*". l. X. c. 33.

Nec dubitat etiam l. XI. c. 19, hanc de eo conjecturam in medium ferre: ἐξ ὧν εἰκότως ἄν τις θαρρῶν εἴποι, ὡς, εἴπερ κινησάμενος τὴν ἀρχὴν ἐπ' ἄλλα μέρη τῆς οἰκουμένης, ἐπὶ τελευταίους ἦλθε Ῥωμαίους, οὐδὲν ἂν τῶν προτιθέντων αὐτὸν διέφυγε. νῦν δ' ἀφ' οὓς ἔδει τελευταίους ἐλθεῖν, ἀπὸ τούτων ἀρξάμενος, ἐν τούτοις ἐποιήσατο καὶ τὴν ἀρχὴν τῶν πράξεων καὶ τὸ τέλος.
„ *Quare merito quis probabiliter sit pronuncia-*
„ *turus, si Hannibal ab aliis orbis partibus sit*
„ *exorsus, novissimos omnium Romanos esset ador-*
„ *tus, nihil quicquam ipsum moliturum fuisse,*
„ *quod non perfecisset. Nunc quum eos sit ag-*
„ *gressus primos, quos debuerat postremos, ibi-*
„ *dem praeclara ejus facta et principium et finem*
„ *habuerunt*".

Immo vero in hunc modum de eo et statuit et pronunciat: τῶν ἑκατέροις, Ῥωμαίοις φημὶ καὶ Καρχηδονίοις, προσπιπτόντων καὶ συμβαινόντων εἷς ἀνὴρ αἴτιος καὶ μία ψυχή, λέγω δὲ τὴν Ἀννίβου. „ *Omni-*
„ *um, quae utrique genti, Romanis et Cartha-*
„ *giniensibus eo tempore evenerunt, unum caput*
„ *atque una mens, Hannibalis scilicet, in causa*
„ *erat.* Namque in Italia quidem, ut inter

„ om-

„ omnes constat, ipse omnia gerebat; Hispaniam „ vero per seniorem e fratribus Hasdrubalem, ac „ deinceps per Magonem [majorem] administra„ bat: ab his enim ambo praetores Romani in „ Hispania caesi fuerunt. Praeterea in Sicilia res „ gerebat, prius quidem Hippocratis, deinde „ Myttoni Afri ministerio; pariterque in Grae„ cia ac per Illyricum, quibus ex locis formidi„ nem intentans ob societatem cum Philippo „ initam, terrebat ac distinebat Romanos". Οὕτω μέγα τι χρῆμα καὶ θαυμάσιον, ἀνὴρ καὶ ψυχὴ δεόντως ἁρμοσθεῖσα κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς σύστασιν πρὸς ὅ τι ἂν ὁρμήσῃ τῶν ἀνθρωπίνων ἔργων. „ *Tantum in omnibus rebus,* „ *quas aggredi placuerit, valet unius hominis* „ *mens, ad consilium semel captum probe applicata* „ *atque intenta*". l. IX. c. 22. Ita sane judicare de magno viro, nisi vir magnus, nemo potest.

Alia exempla praebet l. I. c. 64, collato l. III. c. 9 et 10, de Hamilcare Barca, l. III. c. 80, de Flaminio, c. 89 seqq., de Q. Fabio Maximo, l. IV. c. 48, de Achaeo, l. V. c. 10, l. VII. c. 12 seqq., l. X. c. 26, l. XVII. c. 4, l. XVIII. c. 16, l. XXIV. c. 8, et l. XXVI. c. 5, de Philippo Persei patre, l. X. c. 2 seqq. inprimis c. 40, l. XI. c. 20 seqq. l. XVIII. c. 13, l. XXIV. c. 9, l. XXXV. c. 4, l. XXXVI. c. 6, et l. XXXIX. c. 19, de Scipionibus, l. XI. c. 2, de Hamilcare fratre Hannibalis, l. X.

c. 24,

c. 24, l. XI. c. 10 feqq. de Philopoemene, l. XVII. c. 12, et l. XVIII. c. 19 feqq. de T. Quinctio Flaminio, qui primus Romanorum exercitum in Graeciam duxit, l. XVIII. c. 24; de Attalo, l. XXIV. c. 5, de Denocrate Mesfenio, l. XXVI. c. 5, de Perfeo Macedoniae rege, l. XXVI. c. 10, de Antiocho Epiphane, a Polybio *Epimane* dicto, l. XXII. feqq., de Leptine et Ifocrate Grammatico Cn. Octavii interfectoribus. Idem etiam oftendunt infinita alia loca, quae diligens Polybii ftudiofus fponte inveniet.

§ III.

De Politicâ Polybii prudentiâ.

Eleganter Plato Reipublicae adminiftrandae prudentiam, cum navis gubernandae peritiâ, comparare fubinde folet. Et fane, ut nauta navem procellis fluctibusque agitatam haud facile incolumem in portum deducat, nifi artem, quam profitetur rite teneat: ita, qui civitatibus gentibusque praefunt, nec res publicas bene adminiftrare, nec cives fuos ab hofte defendere, neque eos felices reddere posfunt, nifi Politicae fint artis peritisfimi. Haec enim est illa Regum et principum virorum comes et mi-

nistra, quae in summis rerum difficultatibus et veluti procellis et tempestatibus gentes servare incolumes potest. Sed Historicum etiam decet hac prudentiâ valere, certe Politicorum quorumque consiliorum prudentem esse judicem: si quidem propositorum rationem, institutorum eventus, rerum conversiones et horum omnium caussas rite expositurus sit. Et sane, qui ex historiâ Politicam tollit, is animi corporisque discidium inducere videatur.

Hac facultate ex communi omnium sententiâ, unus in paucis maxime excelluit Polybius: idemque in mediis rerum publicarum periculis et quasi fluctibus versatus, ipse gubernandi artem ad patriae salutem adhibuit. Quocirca haud ineptum existimamus, paullo uberius hac de re agere.

Politica societatis civilis administrationem, tanquam materiam, quam tractet, sibi subjectam habet. Nisi quis igitur societatis hujus originem, initia, et primam rationem diligenter cognoverit, Politicae peritus dici non potest. Nam quemadmodum, qui hominis naturam atque indolem pervestigare student, non continuo ad maturam et virilem aetatem, sed primum ad infantiam ejus et adolescentiam attendunt; ita Politicum philosophum civitatum initia et primum et potissimum explorare oportet.

Hanc

Hanc viam ſibi calcandam duxit Polybius. Societatis civilis originem, primam conditionem, proximas immutationes, varias, quae ſecutae ſunt, converſiones, haec omnia Politico et accurate exploranda, et bene cognoscenda exiſtimavit. Videamus, quomodo ipſe graviſſimum hoc argumentum tractaverit. Fingit, per diluvium, peſtem aut ſimiles calamitates una cum inventis et artibus omnibus genus hominum fere totum periisſe, deinceps vero ἐκ τῶν περιλειφθέντων, οἱονεὶ σπερμάτων, „ *ex reliquiis, ve-* „ *luti ſeminibus*", progresſu temporis, hominum multitudinem esſe propagatam. Τότε ἀνάγκη, ait l. VI. c. 5, τὸν τῇ σωματικῇ ῥώμῃ καὶ τῇ ψυχικῇ τόλμῃ διαφέροντα, τοῦτον ἡγεῖσθαι καὶ κρατεῖν. καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων γενῶν τῶν ἀδοξοποιήτων ζώων θεωρούμενον τοῦτο χρὴ φύσεως ἔργον ἀληθινώτατον νομίζειν· παρ' οἷς ὁμολογουμένως τοὺς ἰσχυροτάτους ὁρῶμεν ἡγουμένους. „ *Tunc* „ *necesſe erat, ut quicumque corporis robore et* „ *animi audaciâ emineret, is caeterorum dux* „ *atque imperator esſet. Hoc ipſum enim,* „ *quod in aliis pariter animantium generibus,* „ *quae non reguntur opinionibus, fieri videmus,* „ *pro verisſimo naturae inſtituto habendum est:* „ *videmus autem in illis manifesto ducum officio* „ *fungi robuſtisſimos quosque*". Hanc primam regiminis formam vocat μοναρχίαν, *unius dominationem.*

Jam

Jam vero in feris hisce et barbaris hominibus quomodo justi atque injusti, honesti atque turpis fenſus ac notio excitatur? Quo modo μοναρχία haec in βασιλείαν id est *regnum legibus ſtabilitum* mutatur? Summâ ſolertiâ hoc explicat Polybius l. 1. c. 6. „ Quoties adultus aliquis eorum, qui educati fuerint, gratiam [parentibus] non refert, neque iis ſubvenit, a quibus fuerit alitus; ſed e contrario dictis factisve eos aggreditur laedere; perſpicuum est iniquo animo rem ferre, graviterque offendi eos, qui forte interſunt, et quantâ curâ atque aerumnâ parentes liberos curaverint, atque aluerint notum habent. Τοῦ γὰρ γένους τῶν ἀνθρώπων ταύτῃ διαφέροντος τῶν ἄλλων ζώων, ᾗ μόνοις αὐτοῖς μέτεστι νοῦ καὶ λογισμοῦ· φανερὸν, ὡς οὐκ εἰκὸς παρατρέχειν αὐτοὺς τὴν προειρημένην διαφορὰν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων· ἀλλ᾽ ἐπισημαίνεσθαι τὸ γιγνόμενον, καὶ δυσαρεστεῖσθαι τοῖς παροῦσι, προορωμένους τὸ μέλλον, καὶ συλλογιζομένους, ὅτι τὸ παραπλήσιον ἑκάστοις αὐτῶν συγκυρήσει. *Quoniam enim homo a caeteris animantibus hoc differt, quod ſolus mentis et rationis ſit particeps; non est profecto veroſimile, ipſos hanc voluntatum diverſitatem inobſervatam praetermisſuros, quod faciunt aliae animantes: ſed admisſum delictum revocaturos ad animum, et praeſens factum*

„ *eum damnaturos, ut qui, futura prospicientes, facile cogitent, unicuique ex suo numero idem posse evenire*". Rursus autem, (pergit) si quis, ab alio opem ac praesidium in periculis nactus, auctori suae salutis gratiam non rependat, aut etiam injuriam ei facere conetur; quis dubitat, talem hominem apud omnes, qui resciverint in offensâ gravi futurum? Simul alterius vicem indignantibus cunctis, et ne similis injuriae exemplum ad se perveniat, metuentibus: ἐξ ὧν ὑπογίγνεταί τις ἔννοια παρ' ἑκάστῳ, τῆς τοῦ καθήκοντος δυνάμεως καὶ θεωρίας· ὅπερ ἐστὶν ἀρχὴ καὶ τέλος δικαιοσύνης. *Ex quo suboritur in singulorum animis notio quaedam officii, et quae sit hujus vis atque ratio, quod quidem et initium est et finis justitiae*". Similiter etiam, quando aliquis in periculis acriter pro omnibus propugnat, idemque feris valentissimis resistit, et earum sustinet impetus; non est dubitandum, quin hunc faustis acclamationibus prosequatur multitudo, cum benevolentiae et honoris significatione; eum vero, qui contraria hisce faciat, vituperationem omnium consequi offensionemque. ἐξ οὗ πάλιν εὔλογον, ὑπογίγνεσθαί τινα θεωρίαν παρὰ τοῖς πολλοῖς αἰσχροῦ καὶ καλοῦ, καὶ τῆς τούτων πρὸς

„ ἀλ-

„ ἄλληλα διαφορᾶς. *Unde rursus probabile est, „ subnasci in animis vulgi turpis atque honesti „ quandam notitiam, et ejus discriminis, quo „ haec invicem separantur.* — καὶ δὴ τῷ τοιούτῳ „ τρόπῳ βασιλεὺς ἐκ μονάρχου λανθάνει γενόμενος, ὅταν πα- „ ρὰ τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ἰσχύος μεταλάβῃ τὴν ἡγεμονίαν „ ὁ λογισμός. *Atque hoc pacto, quum a ferociâ et „ robore ad rationem principatus fuerit trans- „ latus, pro eo, quod erat monarchus invidioso „ nomine, sensim nemine animadvertente Rex „ evadit*". Initia et progressus humanitatis, culturae et societatis civilis haud facile melius diligentiusque ab aliis significata reperias.

Politica Polybii praecepta abhorrent prorsus a fraudibus, dolis, violentis consiliis: referuntur omnia ad virtutis studium, justitiae observantiam, veram hominum utilitatem. Audiamus virum optimum de optandâ civitatis ratione disserentem l. VI. c. 47. Ἐγὼ γὰρ οἶμαι, inquit, δύο ἀρχὰς εἶναι πάσης πολιτείας, δι' ὧν αἱρετὰς ἢ φευκτὰς συμβαίνει γίγνεσθαι τάς τε δυνάμεις αὐτῶν καὶ τὰς συστάσεις· αὗται δ' εἰσὶν ἔθη, καὶ νόμοι. ὧν τὰ μὲν αἱρετὰ, τούς τε κατ' ἰδίαν βίους τῶν ἀνθρώπων ὁσίους ἀποτελεῖ καὶ σώφρονας, τό τε κοινὸν ἦθος τῆς πόλεως ἥμερον ἀπεργάζεται καὶ δίκαιον· τὰ δὲ φευκτὰ τοὐναντίον. „ *Ego enim duo principia sive fundamenta „ esse autumo cujuslibet reipublicae, propter*

„ *quae*

„ *quae forma illius et constitutio vel optanda* „ *censeri debeat vel fugienda. Ea sunt mores et* „ *leges. Et optanda quidem illa sunt, quae et* „ *civis cujusque vitam privatim sanctam red-* „ *dunt et castam, et publica civitatis instituta* „ *mansueta atque justa: fugienda vero, quae* „ *praestant contrarium*".

Pariter existimat de jure belli, l. V. c. 12. Καὶ μὴν, inquit, τό γε νικῆσαι τοὺς πολεμίους καλοκἀγαθίᾳ καὶ τοῖς δικαίοις, οὐκ ἐλάττω, μείζω δὲ παρέχεται χρείαν τῶν ἐν τοῖς ὅπλοις κατορθωμάτων. οἷς μὲν γὰρ δι' ἀνάγκην, οἷς δὲ κατὰ προαίρεσιν, εἴκουσιν οἱ λειφθέντες. καὶ τὰ μὲν μετὰ μεγάλων ἐλαττωμάτων ποιεῖται τὴν διόρθωσιν· τὰ δὲ χωρὶς βλάβης πρὸς τὸ βέλτιον μετατίθησι τοὺς ἁμαρτάνοντας. τὸ δὲ μέγιστον, ἐν οἷς μὲν τὸ πλεῖστόν ἐστι τῆς πράξεως τῶν ὑποταττομένων· ἐν οἷς δ' αὐτοτελὴς ἡ νίκη γίγνεται τῶν ἡγουμένων· „ *Enimvero factis ho-* „ *nestis atque justitiâ hostes vincere, res non* „ *minor est, imo vero etiam majorem utilita-* „ *tem affert, quam armis parta victoria. Hic* „ *enim, necessitate compulsi; illic sponte cedunt* „ *victi. Et haec quidem victoria, magnis cum* „ *damnis, ad officium male sanos revocat: illa* „ *vero, sine detrimento, delinquentes in viam* „ *rectam sistit. Maximum autem illud; quod,* „ *ubi res armis geritur, pars potissima victo-* „ *riae opus est militis; quum illud alterum de-* „ *cus totum sit omnino eorum, qui gerendis*

„ *negotiis praesunt*". Quo autem ſenſu haec accipi velit, declarat l. IV. c. 31, ἐγὼ γὰρ, ait, φοβερὸν μὲν εἶναι, φημὶ, τὸ πολεμεῖν, οὐ μὴν οὕτω γε φοβερὸν, ὥςε πᾶν ὑπομένειν χάριν τοῦ μὴ προσδέξασθαι πόλεμον· ἐπεὶ τί καὶ θρασύνομεν τὴν ἰσηγορίαν καὶ παῤῥησίαν καὶ τὸ τῆς ἐλευθερίας ὄνομα πάντες, εἰ μηδὲν ἔςαι προυργιαίτερον τῆς εἰρήνης; „ *Nam metuendum es-* „ *ſe bellum equidem non abnuo: ſed non usque* „ *adeo metuendum, ut ejus vitandi gratia om-* „ *nia velis ſuſcipere. Quid enim juris aequali-* „ *tatem jactamus omnes, et facultatem ex ae-* „ *quo dicendi quae ſentias, ipſum denique liber-* „ *tatis nomen; ſi nihil est omnium, quod poti-* „ *us ducamus pace?*" Item l. V. c. 11, οὐ γὰρ ἐπ᾽ ἀπωλείᾳ δεῖ καὶ ἀφανισμῷ τοῖς ἀγνοήσασι πολεμεῖν τοὺς ἀγάθοὺς ἄνδρας, ἀλλ᾽ ἐπὶ διορθώσει καὶ μεταθέσει τῶν ἡμαρτημένων· οὐδὲ συναναιρεῖν τὰ μηδὲν ἀδικοῦντα τοῖς ἠδικηκόσι, ἀλλὰ συσσώζειν μᾶλλον καὶ συνεξαιρεῖσθαι τοῖς ἀναιτίοις τοὺς δοκοῦντας ἀδικεῖν. „ *Bono-* „ *rum ſiquidem virorum est, cum nec bonis eo* „ *animo bellum gerere, non ut eos perdant, at-* „ *que exſtinguant; ſed ut, quae illi deliquerint* „ *curent emendanda atque ſarcienda: neque ut* „ *innoxios eâdem cum noxiis poenâ involvant;* „ *verum ut potius ipſos etiam, qui ſontes esſe* „ *videntur, una cum inſontibus ſalute imperti-* „ *antur, atque a peſte vindicent.* Tyranni etenim proprium est, ut, male faciendo, invi-

„ tis

„ tis per vim ac metum dominetur, a ſubjectis „ pariter odio habitus, et illos odio habens". βασιλέως δὲ, τὸ, πάντας εὖ ποιοῦντα, διὰ τὴν εὐεργεσίαν καὶ φιλανθρωπίαν ἀγαπώμενον, ἑκόντων ἡγεῖσθαι καὶ προςατεῖν. „ *Regis vero proprium, ut, bene de om- „ nibus merendo, dilectus cunctis propter bene- „ ficia et humanitatem, volentes imperio ſuo et „ conſilio regat*".

In hujusmodi ſententiis et praeceptis candidum agnoscimus Polybii animum, ab omni fraude et machinationibus abhorrentem. Quodſi acumen ejus et ſolertiam, omninoque politicam perſpicaciam cognoscere cupias, haec potisſimum attendenda videntur.

Doctrina de aequalitate potentiae inter gentes ſervandâ, quanto ſtudio et diligentiâ a recentioribus Politicis tractata fuerit, nemo ignorat. Sed dubitatur, an veteres etiam hac de re claras et perſpicuas notiones habuerint. Et ſunt adeo, qui ipſam hujus doctrinae inventionem recentioribus tribuant. Mihi quidem videtur Humius (*) plane demonſtrasſe, Graecos ſaltem aequalitatis hujus rationem et necesſitatem bene cognovisſe. Et ſane continuo occurrunt in Grae-

(*) *Esſais Politiques ch. VII. ſur la balance de pouvoir.*

Graecorum historiâ civitates, quae contra potentiores gentes imbecilliores adjuverunt, ne scilicet increscens illarum potentia sibi etiam aliquando noceret. Ut ut est, Polybius sane doctrinam hanc perspexit. Narrat l. I. c. 83. Hieronem, Syracusarum Regem, quamvis Romanorum socium, Carthaginiensibus succurrisse, πεπεισμένον συμφέρειν ἑαυτῷ καὶ πρὸς τὴν ἐν Σικελίᾳ δυναστείαν, καὶ πρὸς τὴν Ῥωμαίων φιλίαν, τὸ σώζεσθαι τοὺς Καρχηδονίους· ἵνα μὴ παντάπασιν ἐξῇ τὸ προτεθὲν ἀκονιτὶ συντελεῖσθαι τοῖς ἰσχύουσι: „*persuasum, expedire sibi, cum ad suum in Siciliâ dominatum firmandum, tum ad Romanorum amicitiam, saluti Carthaginiensium esse consultum; ne in potestate praepotentium penitus foret, quicquid libuisset, nemine adversante facere*". Et adjicit continuo gravissimam sententiam: πάνυ φρονίμως καὶ νουνεχῶς λογιζόμενος (ὁ Ἱέρων.) οὐδέποτε γὰρ χρὴ τὰ τοιαῦτα παρορᾷν· οὐδὲ τηλικαύτην οὐδενὶ συγκατασκευάζειν δυναστείαν, πρὸς ἣν οὐδὲ περὶ τῶν ὁμολογουμένων ἐξέσται δικαίων ἀμφισβητεῖν. „*In quo prudenter omnino et sapienter rem reputavit (Hiero.) Numquam enim ejusmodi principia contemnere oportet, neque tanta cuiquam adstruenda est potentia, ut cum eo postea ne de manifesto quidem jure tuo disceptare ex aequo queas.*

Ut in singulis hominibus, ita in universis etiam

am gentibus, tempus cernitur cum increſcendi, tum vigendi, tum etiam ſeneſcendi et torpendi. Quae animadverſio dici vix poteſt, quantopere ad populorum hiſtoriam explicandam valeat. Neque latuit hoc Polybium noſtrum. Imo etiam inde declarandum cenſuit, et declaravit plane, quare facilius Romani e bellis Punicis, quam Carthaginienſes, victores diſcedere potuerint, l. VI. c. 51. κατά γε μὴν τοὺς καιροὺς τούτους, καθ' οὓς εἰς τὸν Ἀννιβιακὸν ἐνέβαινε πόλεμον, χεῖρον ἦν τὸ Καρχηδονίων, ἄμεινον δὲ τὸ Ῥωμαίων. Ἐπειδὴ γὰρ παντὸς καὶ σώματος καὶ πολιτείας καὶ πράξεως ἐστί τις αὔξησις κατὰ φύσιν, μετὰ δὲ ταύτην ἀκμὴ, κἄπειτα φθίσις, κράτιστα δ' αὐτῶν ἐστὶ πάντα τὰ κατὰ τὴν ἀκμήν· παρὰ τοῦτο καὶ τότε διέφερεν ἀλλήλων τὰ πολιτεύματα· καθ' ὅσον γὰρ ἡ Καρχηδονίων πρότερον ἴσχυε, καὶ πρότερον εὐτύχει τῆς Ῥωμαίων, κατὰ τοσοῦτον ἡ μὲν Καρχηδὼν ἤδη τότε παρήκμαζεν· ἡ δὲ Ῥώμη μάλιστα τότ' εἶχε τὴν ἀκμὴν, κατά γε τὴν τῆς πολιτείας σύστασιν· διὸ καὶ τὴν πλείστην δύναμιν ἐν τοῖς διαβουλίοις παρὰ μὲν Καρχηδονίοις ὁ δῆμος ἤδη μετειλήφει, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις ἀκμὴν εἶχεν ἡ σύγκλητος. ὅθεν, παρ' οἷς μὲν τῶν πολλῶν βουλευομένων, παρ' οἷς δὲ τῶν ἀρίστων, κατίσχυε τὰ Ῥωμαίων διαβούλια περὶ τὰς κοινὰς πράξεις. ᾗ καὶ πταίσαντες τοῖς ὅλοις, τῷ βουλεύεσθαι καλῶς τέλος ἐπεκράτησαν τῷ πολέμῳ τῶν Καρχηδονίων. „*Verum enim vero eâ tempeſtate, quâ bellum Hannibalicum respublica Carthaginienſis ſuscepit, deterior illorum, potior Romanorum erat conditio. Nam*

„ *quum*

„ *quum ſit cujuslibet corporis, civitatis, aut acti-*
„ *onis naturale aliquod crescendi tempus, dein*
„ *florem ſtatumque ſuum obtinendi, ac demum*
„ *vergendi ad interitum: ſitque ita naturâ com-*
„ *paratum, ut tum maxime quaeque vigeant,*
„ *quando in illo perfecto ſuo ſunt ſtatu: hac*
„ *ipſâ ex parte discrimen tunc inter illas obti-*
„ *nuit civitates. Quanto namque citius Cartha-*
„ *gienſis et prius, quam Romana ſuum illum*
„ *praecipuum florem atque felicitatem fuerat*
„ *adepta: tanto magisCarthago quidem jam tum*
„ *deflorebat, et quaſi ſenescebat; Roma vero,*
„ *integra vigente reipublicae formâ, cum maxi-*
„ *me florebat. Ideo etiam in rerum deliberatio-*
„ *nibus apud Carthaginienſes quidem plurimam*
„ *populus auctoritatem ſibi jam vindicaverat,*
„ *quae apud Romanos illibata penes ſenatum*
„ *adhuc erat. Ex quo factum, ut, illic plebe*
„ *de omnibus conſultante; hic vero civium optimo*
„ *quoque, vincerent in rebus publice gestis Ro-*
„ *manorum conſilia: qui etiam eandem ob cauſ-*
„ *ſam, quamvis penitus attritae eorum res fuis-*
„ *ſent, tamen, quia rectis utebantur conſiliis,*
„ *ad extremam bello Carthaginienſes ſuperarunt*".
Haec, ni fallimur, ad interiorem pertinent po-
liticam et rerum humanarum perſpicientiam.

Et ſane dignum erat ingenio Polybiano argu-
mentum, Romanorum cum Carthaginienſibus
com-

comparatio. Instituit item eam et pari sagacitate l. VI. c. 52. Τὰ γε μὴν, inquit, κατὰ μέρος, οἷον εὐθέως τὰ πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας, τὸ μὲν πρὸς τὰς κατὰ θάλατταν, ὅπερ εἰκὸς, ἄμεινον ἀσκοῦσι καὶ παρασκευάζονται Καρχηδόνιοι· διὰ τὸ καὶ πάτριον αὐτοῖς ὑπάρχειν ἐκ παλαιοῦ τὴν εμπειρίαν ταύτην, καὶ θαλαττουργεῖν μάλιςα πάντων ἀνθρώπων. Τὸ δὲ περὶ τὰς πεζικὰς χρείας, πολὺ δή τι Ῥωμαῖοι πρὸς τὸ βέλτιον ἀσκοῦσι Καρχηδονίων. οἱ μὲν γὰρ, τὴν ὅλην περί τοῦτο ποιοῦνται σπουδήν· Καρχηδόνιοι δὲ, τῶν μὲν πεζικῶν εἰς τέλος ὀλιγωροῦσι, τῶν δ' ἱππικῶν βραχεῖάν τινα ποιοῦνται πρόνοιαν. αἴτιον δὲ τούτων ἐστὶν, ὅτι ξενικαῖς καὶ μισθοφόροις χρῶνται δυνάμεσι, Ῥωμαῖοι δ' ἐγχωρίοις καὶ πολιτικαῖς· ἧ καὶ περὶ τοῦτο τὸ μέρος ταύτην τὴν πολιτείαν ἀποδεκτέον ἐκείνης μᾶλλον. ἡ μὲν γὰρ, ἐν ταῖς τῶν μισθοφόρων εὐψυχίαις ἔχει τὰς ἐλπίδας τῆς ἐλευθερίας· ἡ δὲ Ῥωμαίων ἐν ταῖς σφετέραις ἀρεταῖς, καὶ ταῖς τῶν συμμάχων ἐπαρκείαις. διὸ κἂν ποτε πταίσωσι κατὰ τὰς ἀρχὰς, Ῥωμαῖοι μὲν ἀναμάχονται τοῖς ὅλοις, Καρχηδόνιοι δὲ τοὐναντίον. [οἱ γὰρ] ὑπὲρ πατρίδος ἀγωνιζόμενοι καὶ τέκνων, οὐδέποτε δύνανται λῆξαι τῆς ὀργῆς, ἀλλὰ μένουσι ψυχομαχοῦντες, ἕως ἂν περιγένωνται τῶν ἐχθρῶν. „*Jam si sigillatim omnia con-*
„*sideremus, verbi gratia, quae ad bellicos usus*
„*spectant: res nauticas, uti par est, melius*
„*exercent meliusque ad eas se comparant Car-*
„*thaginienses; ut qui hanc scientiam jam olim*
„*a parentibus suis acceperint, et qui usu majo-*
„*re navigandi caeteris mortalibus longe praestent.*

„ *Ter-*

,, *Terrestris vero militiae exercitationibus Romani*
,, *Carthaginienses longo utique intervallo superant.*
,, *Nam illi omne suum studium huic curae applicant:*
,, *Carthaginienses vero de pedestri quidem militiâ*
,, *nihil quicquam prorsus curant; equestris rei le-*
,, *vem curam habent. Cujus rei caussa est, quod*
,, *peregrino et mercenario milite Poeni utuntur;*
,, *Romani domestico et urbano. Quare in hac qui-*
,, *dem parte haec potiorem, quam illa respublica,*
,, *laudem meretur. Illa enim spem libertatis suae*
,, *in mercenariorum fortitudine positam semper ha-*
,, *bet; Romana in suorum virtute et sociorum auxi-*
,, *liis. Itaque licet initio nonnumquam damnum ali.*
,, *quod gravius sit acceptum, Romani quidem in-*
,, *tegros exercitus mox reparant; at Carthagi-*
,, *nienses e contrario idem facere non possunt.*
,, [*Romani enim*] *pro patriâ ac liberis pugnan-*
,, *tes, irae modum nesciunt imponere, sed pervi-*
,, *cacibus animis in proposito pugnandi manent*
,, *donec hostem devicerint*". Quare licet rei na-
,, valis longe inferiores sint Romani, ut antea
,, est dictum: virtute tamen civium suorum uni-
,, versi belli victores semper evadunt. Etsi enim
,, non parum ad proelia navalia nauticae rei
,, scientia confert, plurimum tamen ad victoriam
,, momentum facit classiarii militis virtus. Δια-
,, φέρουσι μὲν οὖν καὶ φύσει πάντες Ἰταλιῶται Φοινίκων
,, καὶ Λιβύων, τῇ τε σωματικῇ ῥώμῃ καὶ ταῖς ψυχικαῖς

,, τόλ-

„ τόλμαις· μεγάλην δὲ καὶ διὰ τῶν ἐθισμῶν πρὸς τοῦτο „ τὸ μέρος ποιοῦνται τῶν νέων παρόρμησιν. *Sane quidem et hoc a naturâ habent Italici populi, „ ut tam corporis robore, quam audaciâ ac praesentiâ animi, Poenos atque Afros superent. „ Sed et instituta sunt publica, quae juvenes eodem vehementur incitent.*

Neque hoc tantum loco, sed et alibi de mercenariis copiis prudenter existimat, uti l. XI. c. 13. ὅσῳ γὰρ συμβαίνει τοὺς ἐν ταῖς δημοκρατίαις ὄχλους προθυμοτέρους ὑπάρχειν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι τῶν τοῖς τυράννοις πολιτικῶν ὑποταττομένων· τοσούτῳ τὰ παρὰ τοῖς μονάρχοις ξενικὰ τῶν ἐν ταῖς δημοκρατίαις μισθοφορούντων εἰκὸς ὑπεράγειν καὶ διαφέρειν. ὥσπερ γὰρ ἐπ᾽ ἐκείνων οἷς μὲν ὑπὲρ ἐλευθερίας ἐστὶν, οἷς δ᾽ ὑπὲρ δουλείας ὁ κίνδυνος· οὕτως ἐπὶ τῶν μισθοφόρων οἷς μὲν ὑπὲρ ὁμολογουμένης ἐπανορθώσεως, οἷς δ᾽ ὑπὲρ προδήλου βλάβης γίγνεται φιλοτιμία. Δημοκρατία μὲν γὰρ, ἐπανελομένη τοὺς ἐπιβουλεύσαντας, οὐκέτι μισθοφόροις τηρεῖ τὴν ἑαυτῆς ἐλευθερίαν· τυραννὶς δ᾽, ὅσῳ μειζόνων ἐφίεται, τοσούτῳ πλειόνων προσδεῖται μισθοφόρων. πλείονας ἔχει καὶ τοὺς ἐπιβουλεύοντας. ἡ δὲ τῶν μονάρχων ἀσφάλεια τὸ παράπαν ἐν τῇ τῶν ξένων εὐνοίᾳ κεῖται καὶ δυνάμει. „ *Quanto enim alacrius multitudo civitatum liberarum bellica certamina capessere „ amat, quam plebs urbana tyranno subdita: „ tantum liberarum civitatum mercenarios a stipendiariis monarcharum virtute superari atque „ antecelli consentaneum est. Nam ut civium,*

„ *quos*

„ *quos dixi, alteri pro libertate, alteri pro ser-*
„ *vitute asserendâ dimicant: ita mercenariorum*
„ *altera pars pro commodis ex pacto sibi debitis*
„ *contendit, altera pro damno manifesto. Quip-*
„ *pe Respublica, simulatque eos sustulit, qui*
„ *suae libertati insidiabantur, non amplius per*
„ *mercenarios suam libertatem tuetur: tyrannis*
„ *vero, quo majora appetit, eo pluribus indiget*
„ *mercenariis: ut enim pluribus injurias infert,*
„ *ita plures, qui sibi insidientur, invenit. Est*
„ *autem Tyrannorum securitas in peregrini mi-*
„ *litis benevolentiâ et viribus posita.*"

Mira est haec rerum humanarum vicissitudo, ut imperii formae, sibi invicem succedentes, circuli instar, novissimae tandem cum primis connectantur, atque uti ex monarchiâ tandem democratia, ita ex democratiâ continuo monarchia existat. Observarunt hoc et explicare conati sunt Graeci philosophi, acutissimi illi rerum politicarum scrutatores et exploratores, imprimis Plato in libris de Republicâ. Nec sane neglexit hanc animadversionem Polybius: immo vero eam adhibuit ad civitatum rationem et praesentem bene cognoscendam et futuram quasi vaticinandam. Postquam tradidit, quomodo civitates ex monarchicâ, regiâ et tyrannicâ in aristocraticam et oligarchicam, hinc in democraticam et ochlocraticam formam abe-

ant,

ant, et tandem in monarchiam redeant, ita haecce concludit, l. VI. c. 9. Αὕτη πολιτειῶν ἀνακύκλωσις, αὕτη φύσεως οἰκονομία, καθ' ἣν μεταβάλλει καὶ μεθίσταται, καὶ πάλιν εἰς αὐτὰ καταντᾷ τὰ κατὰ τὰς πολιτείας. Ταῦτά τις σαφῶς ἐπεγνωκὼς, χρόνοις μὲν ἴσως διαμαρτήσεται, λέγων ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος περὶ πολιτείας· τὸ δὲ ποῦ τῆς αὐξήσεως ἕκαστον ἐστιν ἢ τῆς φθορᾶς, ἢ ποῦ μεταστήσεται, σπανίως ἂν διασφάλοιτο. χωρὶς ὀργῆς ἢ φθόνου ποιούμενος τὴν ἀπόφασιν „ *Hic orbis est,* „ *quo in ſe Reſpublicae revolvuntur: hic naturae* „ *ordo, per quem rerum publicarum ſtatus mutatur, transformatur, et rurſus eodem redit.* „ *Quae ſi quis accurate cognita habuerit, de iis,* „ *quae rempublicam manent, dicere aggresſus,* „ *in ratione temporum ille quidem fortasſe falletur: at quo loco ſit quaeque illarum, an incremento propior ſit an ruinae, et in quam formam ſit immutanda; vix est, ut in hoc fallatur; ſi modo irâ atque invidiâ vacuus, ſententiam ſuam ſuper eâ re pronunciaverit".*

Neque vero exiſtimemus, verbis eum ita gloriatum esſe, rebus et factis hanc ſuam ſententiam non probasſe. Quin etiam Reipublicae Romanae caſum et futuram conditionem non tantum ut Hiſtoricus conjecit, ſed ut vates cecinit. Et non ingratum me facturum lectoribus confido, ſi hanc Polybii quaſi vaticinationem hic apponam. Ad locum igitur proxime adſcriptum haec con-

tinuo adjicit; *καὶ μὴν περί γε τῆς Ῥωμαίων πολιτείας κατὰ ταύτην τὴν ἐπίστασιν μάλιστ' ἂν ἔλθοιμεν εἰς γνῶσιν καὶ τῆς συστάσεως, καὶ τῆς αὐξήσεως, καὶ τῆς ἀκμῆς· ὁμοίως δὲ καὶ τῆς εἰς τοὔμπαλιν ἐσομένης ἐκ τούτων μεταβολῆς. εἰ γάρ τινα καὶ ἑτέραν πολιτείαν, ὡς ἀρτίως εἶπα, καὶ ταύτην συμβαίνει, κατὰ φύσιν ἀπ' ἀρχῆς ἔχουσαν τὴν σύστασιν καὶ τὴν αὔξησιν, κατὰ φύσιν ἕξειν καὶ τὴν εἰς τἀναντία μεταβολήν.* „*Ad Romanorum certe quod* „*attinet Rempublicam, hoc potissimum inquisi-* „*tionis genere intelligemus, quo pacto ab initio* „*constituta, deinde aucta, et ad hunc statum* „*florentissimum, quo nunc viget, perducta fue-* „*rit: et similiter, quaenam in contrarium illam* „*maneat conversio. Haec enim respublica, quem-* „*admodum, si qua alia, ut paullo ante dixi,* „*secundum naturam constituta atque aucta est;* „*sic et mutationem in contrarium secundum na-* „*turam habebit*". Et quare de hacce Republicâ, quamvis ipsius aetate et florente et vigente et ad praeclara omnia aspirante, hanc pronunciarit sententiam, uberius deinde explicat l. l. c. 57. *Ὅτι μὲν οὖν*, inquit, *πᾶσι τοῖς οὖσιν ὑπόκειται φθορὰ καὶ μεταβολή, σχεδὸν οὐ προσδεῖ λόγων· ἱκανὴ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἀνάγκη, παραστῆσαι τὴν τοιαύτην πίστιν.* „*Jam vero, manere humanas res omnes interi-* „*tum ac mutationem, ne admonendi quidem* „*sumus; ipsa namque naturae necessitas ad fir-* „*mandam huic rei fidem abunde sufficit.* Quum

„ au-

„ autem duo modi ſint, quibus respublicae om-
„ nes perire posſunt, ſcilicet vel extrinſecus il-
„ latâ peſte, vel in ipſis ingeneratâ; ejus, quae
„ venit extrinſecus, incerta et inſtabilis est cog-
„ nitio; ad illa autem mala quod attinet, quae
„ ex ipſâ rerumpublicarum ratione naſcuntur,
„ certam illa definitamque habent cognitionem.
„ Jam quae naturâ prima exiſtat forma reipubli-
„ cae, quae deinceps, tum quomodo invicem
„ mutentur alia in aliam, antea docuimus: ita
„ ſit, ut ſi qui in propoſito argumento extremis
„ prima connectere potuerint, vel ipſi per ſe,
„ quid in poſterum immineat, praedicere poſ-
„ ſint. Et vero manifesta res est, ut equidem
„ arbitror. Ὅταν γὰρ πολλοὺς καὶ μεγάλους κινδύνους
„ διωσαμένη πολιτεία, μετὰ ταῦτα εἰς ὑπεροχὴν καὶ δυνα-
„ στείαν ἀδήριτον ἀφίκηται· Φανερὸν, ὡς, εἰσοικιζομένης εἰς
„ αὐτὴν ἐπὶ πολὺ τῆς εὐδαιμονίας, συμβαίνει τοὺς μὲν
„ βίους γίγνεσθαι πολυτελεστέρους, τοὺς δ' ἄνδρας Φιλονει-
„ κοτέρους τοῦ δέοντος περί τε τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἄλλας
„ ἐπιβολάς. ὧν προβαινόντων ἐπὶ πλέον, ἄρξει μὲν τῆς ἐπὶ
„ τὸ χεῖρον μεταβολῆς, ἡ Φιλαρχία, και τὸ τῆς ἀδοξίας
„ ὄνειδος· πρὸς δὲ τούτοις ἡ περὶ τοὺς βίους ἀλαζονεία καὶ
„ πολυτέλεια. *Postquam enim civitas aliqua mul-*
„ *ta eaque magna pericula fuit eluctata, jamque*
„ *ad principatum et potentiam non controverſam*
„ *pervenit, palam est, ubi beata fortuna ſuam*
„ *ſedem in eâ civitate per ſat longum tempus ha-*

 „ *bue-*

„ *buerit, fieri, ut in mores luxus irrepat, in* „ *animos virorum ſemper major contentio, cum* „ *circa magiſtratus, tum circa alia incepta.* „ *Quae ubi ſemel creverint mala, mutationis* „ *in deterius principium exiſtet ab honoribus per* „ *ambitionem petitis aut negatis: itemque ab* „ *illâ arrogantiâ et luxu, quo civium mores* „ *erunt depravati.* Perficiendae vero mutatio-„ nis auctor erit populus, cum ab his quidem „ injuriâ affectus propter eorum avaritiam ac „ rapinas ſibi videbitur, ab aliis vero propter „ ambitionem asſentatione corruptus, et vano „ tumore fuerit inflatus. Tunc enim incenſus „ irâ, et ſolis iis, quae iracundia ſuggesſerit, „ utens conſiliis, parere amplius aut aequo jure „ uti cum magiſtratibus detrectabit; verum pro „ omnibus unus ipſe esſe volet, plurimumque „ posſe. οὗ γενομένου, τῶν μὲν ὀνομάτων τὸ κάλλιστον „ ἡ πολιτεία μεταλήψεται, τὴν ἐλευθερίαν καὶ δημοκρα-„ τίαν· τῶν δὲ πραγμάτων τὸ χείριστον, τὴν ὀχλοκρατίαν. „ *Quo pacto mutatâ facie reipublicae nomen qui-* „ *dem longe pulcerrimum civitas recipiet, liber-* „ *tatem inquam et popularem ſtatum; re vero* „ *ipſâ malum experietur longe gravisſimum,* „ *turbae inconditae dominationem*".

Sed politica prudentia non acumine ſolum et ingenii felicitate comparatur: niti debet tanquam fundamento ſuo, plurimarum rerum ſcientiâ. Ete-

Etenim haud facile quis Politici nomen tuebitur, niſi gentium leges, inſtituta, mores, opiniones, ſtudia, locorum urbiumve ſitum, conditionem, opportunitates, regionum proventus, mercaturae rationem et ſimilia bene et accurate habeat perſpecta. Polybius harum rerum peritiâ inter Antiquos eminuit, quippe qui per vitae rationem

Et mores hominum multorum vidit et urbes,

ac totus ad obſervandi diligentiam ſuâ ipſe naturâ fuit propenſus. Et ex locis, quae deſcripſimus, jam continuo patet, haud leviter eum res gentium inprimis Romanorum tetigisſe. Romanam autem Rempublicam, ſi quis umquam mortalium, et penitus et totam exploravit et cognovit: totam ejus rationem tam civilem, quam militarem, egregio illo libro ſexto, adumbravit: adumbravit? imo vero tantâ diligentiâ ſingulas ejus partes inquiſivit, tanto judicio univerſam ejus conformationem exploravit, ut ad perfectam reipublicae deſcriptionem nil omnino deesſe videatur. Quam ſententiam ut probemus, non opus est, ut ſingula illa loca adducamus, ſufficiet deſcripſisſe hanc disquiſitionis concluſionem, l. VI. c. 18. Τοιαύτης δ' οὔσης τῆς ἑκάστου τῶν μερῶν δυνάμεως, εἰς τὸ καὶ βλάπτειν καὶ συνεργεῖν ἀλ-

 λή-

λήλοις· πρὸς πάσας συμβαίνει τὰς περιστάσεις δεόντως ἔχειν τὴν ἁρμογὴν αὐτῶν, ὥστε μὴ οἷόν τ' εἶναι, ταύτης (τῆς τῶν Ῥωμαίων) εὑρεῖν ἀμείνω πολιτείας σύστασιν. „ *Quum* „ *igitur ſingulae civitatis partes et commodum* „ *et incommodum ſibi invicem hoc modo creare* „ *posſint; evenit ut adverſus omnes caſus, apte* „ *convenienterque ſint concinnatae: ex quo fit ut* „ *meliorem hac (Romanâ) rempublicam nemo* „ *posſit inſtituere.* Quamobrem quoties alicujus „ ab exteris periculi metus ingruens concordiâ „ cives ali ac ſibi invicem ferre opem coëgerit, „ τηλικαύτην καὶ τοιαύτην συμβαίνει γίγνεσθαι τὴν δύναμιν „ τοῦ πολιτεύματος, ὥστε μήτε παραλείπεσθαι τῶν δέοντων „ μηδὲν, ἅτε περὶ τὸ προσπεσὸν ἀεὶ πάντων ὁμοῦ ταῖς ἐπι- „ νοίαις ἁμιλλωμένων, μήτε τὸ κριθὲν ὑστερεῖν τοῦ καιροῦ], „ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν ἑκάστου συνεργοῦντος πρὸς τὴν τοῦ „ προκειμένου συντέλειαν. διόπερ ἀνυπόστατον συμβαίνει „ γίγνεσθαι, καὶ παντὸς ἐφικνεῖσθαι τοῦ κριθέντος, τὴν „ ἰδιότητα τοῦ πολιτεύματος. *Ea est ac tanta hujus* „ *reipublicae vis, ut neque in deliberationibus* „ *quicquam eorum praetermittatur, quae facto* „ *ſunt opus; quum ut quidque accidit, eo certa-* „ *tim cuncti ſuas cogitationes referant; et eo-* „ *rum, quae ſunt decreta, nihil fiat tardius* „ *quam oporteat, publice privatimque omnibus* „ *ad conſulta perficienda connitentibus. Quas* „ *ob causſas invicta atque inexſuperabilis haec* „ *respublica est, per ipſam quâ conſtat formam;* „ *ac*

„ *ac quicquid ſemel decrevit ad exitum perdu-*
„ *cit.* Rurſus autem, quoties omni ab exteris
„ metu liberati; laeto rerum ſuccesſu diutius
„ perfruuntur; atque illis opibus, quas vincen-
„ dis hoſtibus ſibi pepererunt; ubi praeſenti
„ felicitate fruentes, otio atque adulationibus
„ corrupti, ad injurias atque ſuperbiam, ut
„ fieri amat ſe converterunt: tum ſane ut cum
„ maxime cernere est, αὐτὸ παρ' αὐτοῦ ποριζόμενον
„ τὸ πολίτευμα τὴν βοήθειαν. ἐπειδὰν γὰρ ἐξοιδοῦν τι
„ τῶν μερῶν φιλονεικῇ, καὶ πλέον τοῦ δέοντος ἐπικρατῆ-
„ ται δῆλον, ὡς, οὐδενὸς αὐτοτελοῦς ὄντος κατὰ τὸν ἄρτι
„ λόγον, ἀντισπᾶσθαι δὲ καὶ παραποδίζεσθαι δυναμένης
„ τῆς ἑκάστου προθέσεως ὑπ' ἀλλήλων, οὐδὲν ἐξοιδεῖ τῶν
„ μερῶν, οὐδ' ὑπερφρονεῖ. πάντα γὰρ ἐμμένει τοῖς ὑποκειμέ-
„ νοις, τὰ μὲν κωλυόμενα τῆς ὁρμῆς, τὰ δὲ ἐξ ἀρχῆς
„ δεδιότα τὴν ἐκ τοῦ πέλας ἐπίστασιν, *rempublicam*
„ *ipſam ex ſeſe malis ſuis remedium parare. Ubi*
„ *enim pars aliqua ſe efferens jurgium movere,*
„ *et majorem, quam conveniat, potentiam ſibi*
„ *coeperit vindicare, quia nullius potentia om-*
„ *nibus ſuis numeris in ſe est perfecta, ſed*
„ *conſilia omnium, ut jam oſtendimus, ab ob-*
„ *ſiſtentibus mutuo impediri queunt; nulla ef-*
„ *ferre ſe pars ſupra caeteras valet, neque im-*
„ *potenter ſuperbire. Omnia quippe in ſuo ſta-*
„ *tu manent, quum aliorum reprimatur impe-*

 „ *tus,*

„ *tus, alii autem jam inde ab initio metuant* „ *animadverſionem aliorum*". Hujusmodi ſane judicium, niſi ex accuratâ rerum inveſtigatione, exſiſtere non potuit.

Pari cura regionum ſitum, proventus, opportunitates, et quae ſupra memoravimus omnia examinavit. Scilicet hoc ipſe judicabat et Hiſtoricum decere et ſibi in primis agendum esſe. „ Nihil nobis inexplicatum relinquendum est, „ ait l. IV. c. 40, ne eorum quidem, quae in „ rerum naturâ ſunt poſita: — imo vero eo ge- „ nere narrationis utendum est, quo rerum „ commemoratarum rationes etiam exponuntur, „ ne dubium ullum de eis rebus, de quibus „ quaeritur, ſtudioſis relinquamus. Eam ſiqui- „ dem diligentiam hodierna tempora requi- „ runt. —— Quin conandum est nobis, ut „ ipſa per ſe noſtra oratio fidem faciat". Itaque de Byzantiis agens, l. IV. c. 38, accuratisſime exponit, quinam ſit urbis ſitus, quae mercaturae opportunitas, quaenam prae Chalcedone ſubſidia et commoditates. De Medis dicens l. V. c. 44, totam explicat geographicam Mediae rationem. Similiter locorum fertilitatem vel ſterilitatem obſervat, l. III. c. 55 et 91. Fluminum rationem indicat, l. IX. c. 43. Arbores, fructus, proventus regionum deſcribit, ut l. XII. c. 2. Alia ſunt hujus rei exempla l. I. c.

55 et 56. l. II. c. 14 ſeqq. l. III. c. 36 ſeqq. item c. 49, 55, 88; l. IV. c. 70 et 77, l. V. c. 20, 21, 55, 99, l. VII. c. 6. l. IX. c. 27, 41; l. X. c. 1, 10, 27, l. XII. c. 3 et 4.

In laudibus Polybii praecipue etiam cenſenda est rerum militarium et Tacticae peritia. Quo circa optimis vulgo Tacticis ſcriptoribus annumerari ſolet. Et ſint fortasſe, qui hujus etiam Polybianae facultatis documenta hic ſe inventuros putent. Ego vero, ut ingenue fatear, artis Tacticae omnino ſum imperitus, ut non magis aciem ordinare, quam de ordinatâ acie tactice judicare posſim. Et quamquam permulta feruntur de hoc argumento ſcripta, nolim tamen inde mea compilari. Praeterea non adeo Hiſtorico necesſaria videtur hujus artis facultas, ut ſine eâ nomen ſuum tueri non posſit. Quare Hiſtoricas Polybii virtutes ſatis adumbrare posſimus, etiamſi hanc materiam non tangamus. Illud unum monemus, de Tacticâ Polybii exiſtimandum esſe non ex noſtri, ſed ex antiqui aevi ratione, nec antiquam artis rationem temere esſe reprehendendam aut irridendam. Quo errore quot omni tempore fuerint lapſi, quis est, qui ignoret? Videant hi, ne forte multa, quae, ut nova jactant, a veteribus jam dudum occupata ſint et excogitata. Certe *telegraphiam* illam, quam vocant, veteres non latuisſe, ſed ab iis

inventam, atque a Polybio emendatam esse, manifeste patet e l. X. c. 43, seqq.

Egerunt de Tacticâ Polybii inprimis Schelius ad librum *de Romanorum militiâ et castrorum metatione*, editum a jano Lascario; Justus Lipsius, *de militiâ Romanâ:* Folardus ad Francicam Polybii versionem, quam confecit Thuillier, et Guischard, *Memoires militaires sur les Grecs et les Romains* &c.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De viâ et ratione, quâ hiſtoriam conſcripſit Polybius.

Vere ſtatuit Cicero, *hiſtoriam, niſi oratoris voce, immortalitati commendari non posſe.* Et ſane ſine orationis facultate, commentarios quis et annales forte conficiat, Hiſtorici vero partes non plene peraget. Polybius autem (fatebor enim) in principibus antiquorum Oratoribus non cenſendus est, nec Hiſtoricorum etiam excellentisſimorum eloquentiam oratione ſuâ aequavit. Veruntamen non omni plane ſuavisſimae artis facultate deſtitutus fuit, ut horrido prorſus ac aſpero dicendi genere uteretur. Eâ uſus est orationis et perſpicuitate et gravitate, quâ temporum memoriam immortalitati commendaret. Quodſi viam attendimus et rationem, quam in conſcribendis rebus gentium tenuit, unus omnium maxime Hiſtoriam tractavit, ut *teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, nuntiam*

tiam vetuſtatis, et imprimis etiam, ut *magiſtram vitae.* Cic. de Orat. l. II. c. 9.

Sed de his etiam Polybii laudibus, ut accurate exiſtimetur, agemus primum de conſilio, quod in conſcribendâ Hiſtoriâ ſibi propoſuit, tum de legibus, quas ſibi ſervandas esſe duxit, et tandem de orationis formâ et ratione quâ uſus est.

§ I.

De conſilio, quod in conſcribendâ hiſtoriâ ſibi propoſuit Polybius.

Honeſtisſimum hoc ſane fuit et pulcerrimum conſilium. Spectavit enim communem hominum cum utilitatem, tum felicitatem. Pauci Hiſtorici tam egregium ſibi finem propoſuerunt, pauciores etiam hunc finem tam conſtanter petierunt.

In ipſo jam operis exordio ſuam facit hanc aliorum ſententiam, ἀληθινωτάτην μὲν ἔιναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν· ἐναργεςάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν. „*Verisſimam inſtitutionem praeparationemque ad gerendam rempublicam, esſe doctrinam eam, quae ex hiſtoriâ paretur; magiſtramque claris-*

„ *rissimam atque unicam, quae fortunae muta-*
„ *tiones fortiter ferre doceat, alienorum esse ca-*
„ *suum recordationem*".

Ad eximiam illam de Reguli fortunâ observationem, quam supra p. 44. memoravimus, haec deinceps subjicit aurea plane verba. Ἐγὼ δὲ τούτων ἐπεμνήσθην χάριν τῆς τῶν ἐντυγχανόντων τοῖς ὑπομνήμασι διορθώσεως. „ *Equidem ista commemoravi, ut hi, qui*
„ *hos commentarios legerint meliores fiant.* Nam
„ cum duae omnibus mortalibus ad proficien-
„ dum propositae sint rationes: aut per proprios
„ casus, aut per alienos: evidentior quidem
„ est illa, quae per propria ducit infortunia:
„ at tutior, quae per aliena. Quapropter pri-
„ orem viam ne quis sponte ingrediatur; mag-
„ nis enim hujusmodi correctio laboribus con-
„ stat et periculis. Posterior vero via semper
„ est captanda per quam absque ullo damno id
„ quod melius sit, cuique cernere licet. Ἐξ ὧν
„ συνιδόντι, καλλίστην παιδείαν ἡγητέον πρὸς ἀληθινὸν
„ βίον, τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας περιγιγνομένην
„ ἐμπειρίαν. μόνη γὰρ αὕτη χωρὶς βλάβης ἐπὶ παντὸς
„ καιροῦ καὶ περιστάσεως, κριτὰς ἀληθινοὺς ἀποτελεῖ τοῦ
„ βελτίονος. *Quod reputantem, sic apud se quem-*
„ *que statuere oportet, pulcerrimum disciplinae*
„ *genus esse, ad veras vitae rationes cognoscen-*
„ *das, peritiam ex historiâ collectam, quae*
„ *gestorum veram et exactam rationem in se*
„ *con-*

„ *contineat. Sola namque haec omni tempo-*
„ *re, ac quoque rerum eventu, nullo tuo incom-*
„ *modo, dijudicandi id quod melius ſit, faculta-*
„ *tem tibi largitur*". l. I. c. 35.

Idem conſilium, ut veram utilitatem et commune bonum ex hiſtoriâ ſuâ percipiant homines, animadvertimus, l. III. c 31. „ Erunt forte,
„ qui in lectione hiſtoriarum nullo judicio verſa-
„ ri ſolent, qui dicant, nihil fuisſe cauſae, cur
„ in hac oratione" (disquiſiverat de causſis belli Punici ſecundi) „ diutius inmoraremur.
„ Enimvero, ſi quis putaverit, ſatis ſibi in ſe
„ uno esſe praeſidii adverſus omnes caſus, huic
„ ego notitiam rerum antea geſtarum honeſtam
„ quidem, at non fortasſe necesſariam, fore
„ duxerim. Sed quando homo natus nemo id
„ dicere auſit, neque de privatâ ſuâ, neque de
„ publicâ re; quoniam, licet praeſenti fruatur
„ felicitate, de futuro tamen ſanae mentis nemo
„ certam ſpem ſibi ſit ſponſurus: iccirco praeteri-
„ tarum rerum ſeriam cognitionem, non modo
„ honeſtam, verum etiam necesſariam pronuntia-
„ re, equidem non verear. Nam ſive ipſe, aut
„ patria ipſius injuriam a quoquam accepe-
„ rit, quâ ratione adjutores et ſocios ſibi con-
„ ciliaverit? ſive acquirere ſibi aliquid, et prior
„ ipſe belli initium facere cogitet; qui alios incita-
„ verit, ut ſua incepta velint ire adjutum? quo
„ mo-

„ modo denique, ſi rebus praeſentibus acqui „ eſcat, alios impulerit, ut quam ipſe formam „ Reipublicae probat, eam affirmare velint, ne„ que ſollicitari ſtatum civitatis patiantur; ſi ni„ hil habuerit ex ante gestis, quod ſingulis in „ memoriam revocet?" Similiter l. III. c. 4. Postquam dixerat traditurum ſe esſe, quomodo orbem terrarum adminiſtraverint Romani, haec ſubjicit. „ Ex his enim perſpicue ſane „ intelligent ii, qui nunc ſunt, fugiendane ſit „ ipſis, an contra probanda Romanorum domi„ natio: et poſteri, utrum laude atque aemu„ latione dignum fuerit eorum imperium". Τὸ γὰρ ὠφέλιμον τῆς ἡμετέρας ἱστορίας, πρός τε τὸ παρὸν, καὶ πρὸς τὸ μέλλον, ἐν τούτῳ πλεῖστον κεῖσεται τῷ μέρει. „ *Nam et in praeſens et in poſterum uti-* „ *litas hiſtoriae noſtrae in hacce parte maxi-* „ *me cernetur*". Deinde l. III. c. 118. fine. Νομίζοντες οὐ μόνον πρὸς τὴν τῆς ἱστορίας σύνταξιν οἰκείαν εἶναι τὴν περὶ αὐτῆς ἐξήγησιν· (περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων πολιτείας) ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰς τῶν πολιτευμάτων διορθώσεις καὶ κατασκευὰς, μεγάλα συμβάλλεσθαι τοῖς φιλομαθοῦσι καὶ πραγματικοῖς τῶν ἀνδρῶν. „ *Neque enim illi tantum eam tractati-* „ *onem putamus convenire, qui hiſtoriam con-* „ *ſcribat: verum etiam ad emendandas inſtitu-* „ *endasve Reſpublicas, ſtudioſis hominibus pari-*

„ *ri-*

„ *rlter et iis qui rebus praesunt, apprime futu-*
„ *ram utilem.* Sic etiam dicit, l. II. c. 35, se de Gallis disputasse, quomodo primum in Italiam venerint, quas postea res gesserint atque tandem quo modo illo tractu penitus exciderint ὑπολαβάνοντα οἰκεῖον ἱστορίας ὑπάρχειν, τὰ τοιαῦτα ἐπεισόδια τῆς τύχης εἰς μνήμην ἄγειν καὶ παράδοσιν τοῖς ἐπιγενομένοις. „ *Existimantem officium*
„ *esse scriptorum, ut hujusmodi lusus fortunae*
„ *memorabiles ad posteros memoriae tradant:* ne
„ ventura aetas, si de similibus casibus nihil
„ plane cognoverit, subitas atque temerarias
„ Barbarorum irruptiones expavescat: sed
„ contra breviter doceantur, omnes facile ac
„ modico tempore deleri genus illud hominum
„ posse ab iis, qui fortiter restiterint; et omnia
„ prius experiri in animum duxerint, quam ne-
„ cessariâ ullâ re ipsis cedant.

Porro, rationes reddens l. IV. c. 42. cur tam diu de Ponto Euxino et locis vicinis egisset, digressionis caussam hanc fuisse ait, ἵνα μὴ παντὶ τῷ λεγομένῳ προσκεχηνέναι παιδικῶς ἀναγκαζώμεθα διὰ τὴν ἀπειρίαν. ἔχοντες δ' ἴχνη τῆς ἀληθείας ἐπὶ ποσὸν, ἐξ αὐτῶν ἐπικρίνειν δυνώμεθα τὸ λεγόμενον ὑπό τινων ἀληθῶς ἢ τοὐναντίον. „ *Ne propter imperitiam, more*
„ *puerorum cogamur quicquid dictum fuerit ore*
„ *hiante excipere. Sed qui vestigia atque indi-*
„ *cia*

„ *cia quaedam veritatis habeamus*, *per nos ip-*
„ *ſos*, *verumne ſit*, *an contra*, *quod quisque dixe-*
„ *rit*, *dijudicare posſimus*. Scilicet, ut pariter pronunciat Cicero, *hiſtoriam ignorare*, *idem est*, *ac ſemper esſe puerum*.

Solam autem hominum utilitatem ſcribendo ſe ſpectasſe ipſe fatetur l. IX. c. 2. Διόπερ ἡμεῖς οὐχ οὕτω τῆς τέρψεως στοχαζόμενοι τῶν ἀναγνωσομένων, ὡς τῆς ὠφελείας τῶν προσεχόντων, τἄλλα παρέντες, ἐπὶ τοῦτο τὸ μέρος κατηνέχθημεν. „ *Qui igitur non*
„ *tam oblectationem lectorum hac ſcriptione quae-*
„ *reramus*, *quam utilitatem eorum*, *quibus haec*
„ *curae ſunt*, *caeteris hiſtoriae partibus omisſis*,
„ *ad hanc potisſimum nos contulimus*". Et vero ab omni oſtentatione et inani pompâ prorſus erat alienus. „ Maxime quidem enitendum est, ait l.
„ XVI. c. 20, ut omnes hiſtoriae partes ac nume-
„ ros expleamus; id enim inprimis laudabile est:
„ ſin vero illud conſequi non posſumus, maxime
„ in praecipuis ac ſumme necesſariis ejus partibus
„ est elaborandum". Ταῦτα μὲν οὖν προήχθην εἰπεῖν, θεωρῶν, νῦν, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν καὶ ἐπιτηδευμάτων, τὸ μὲν ἀληθινὸν καὶ πρὸς τὴν χρείαν ἀνῆκον ἐν ἑκάστοις, ἐπισεσυρμένον· τὸ δὲ πρὸς ἀλαζονείαν καὶ φαντασίαν, ἐπαινούμενον καὶ ζηλούμενον, ὡς μέγα τι καὶ θαυμάσιον, ὃ καὶ τὴν κατασκευὴν ἔχει ῥᾳδιεστέραν, καὶ τὴν εὐδόκησιν ὀλιγοδεεστέραν, καθάπερ αἱ λοιπαὶ τῶν γραφῶν.

γραφῶν. „ *Atque haec ut dicerem eo ſum adductus, „ quod, perinde, ut in caeteris quibusque artibus et ſtudiis; ſic etiam in historiâ, veram „ rationem, atque id quod ad uſum pertinet, „ plerumque negligi videam. Quod vero ad oſtentationem et pompam compoſitum est, laudari atque probari, tanquam magnum aliquid et mirabile; cum tamen id ipſum in historiâ, perinde ac in reliquis ſcribendi generibus, et elaboratu facilius ſit, et ad placendum multo minoribus indigeat adjumentis.*"

Summo igitur jure Polybius Thucydideum illud de historiâ ſuâ uſurpare poterat. Κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν, σύγκειται. „ *Nam historia mea potius ut perpetuum „ monumentum, quam ludicrum certamen, quod „ ſubito audiatur est compoſita.*" (1)

Ex hoc Polybii in condendâ historiâ conſilio jam quodammodo patet, quam viam et rationem ſecutus fuerit, ſed plene demum hoc intelligemus, ſi primarias quasdam leges, quas ſibi ſervandas duxit, examinaverimus.

---

(1) *Thucyd. l. I. c. 22.*

§ II.

§ II.

De legibus, quas in conscribendâ historiâ servandas sibi duxit Polybius.

Nova existebat, Polybii aetate, rerum fere omnium conditio. Respublica Romana, ex parvis initiis orta, sensim et auctoritate invaluerat et amplitudine aucta fuerat. Nunc autem fortissimas quasque gentes partim sibi subjiciebat, partim ita debilitabat, ut brevi subjectum iri viderentur. Universum hocce totius fere orbis terrarum imperium non poterat non advertere Polybium nostrum. Αὐτὸ γὰρ τὸ παράδοξον τῶν πράξεων, inquit l. I. c. 1. ὑπὲρ ὧν προῃρήμεθα γράφειν, ἱκανόν ἐστι προκαλέσασθαι καὶ παρορμῆσαι πάντα καὶ νέον καὶ πρεσβύτερον, πρὸς τὴν ἔντευξιν τῆς πραγματείας. Τίς γὰρ οὕτως ὑπάρχει φαῦλος ἢ ῥάθυμος ἀνθρώπων, ὃς οὐκ ἂν βούλοιτο γνῶναι, πῶς, καὶ τίνι γένει πολιτείας ἐπικρατηθέντα σχεδὸν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην οὐχ ὅλοις πεντήκοντα καὶ τρισὶν ἔτεσιν, ὑπὸ μίαν ἀρχὴν ἔπεσε τὴν Ῥωμαίων. „*Ipsa enim rerum, de quibus dicturi sumus inopinata novitas, vel per se facile quemque alliciet, incitabitque sive juvenem, sive seniorem, ad historiae hujus lectionem. Nam quis erit adeo nihili homo aut ignavus, quin scire cupiat, quomodo et quo rerum administrandarum genere, universus prope orbis terra-*

„ *rarum annis quinquaginta tribus, iisque non „ integris, ſub unius populi Romani imperium „ fuerit redactus.*"

Primariam igitur hanc ſibi legem praeſcripſit, ut variarum gentium hiſtoriam non ſingulatim traderet, ſed conjunctim exponeret, atque ita quidem, ut univerſi illius imperii incrementa et progresſus rite cognoscerentur. Οὐχ οἷόν τε, ſtatuit l. VIII. c. 4, διὰ τῶν τὰς κατὰ μέρος ἱϛορίας γραφόντων συνθεάσασθαι τὴν τῶν ὅλων οἰκονομίαν. „ *Fieri non posſe, ut per illos, qui particulares „ hiſtorias ſcribunt, totius rerum ſummae diſpoſitio „ innoteſcat.* Quomodo enim fieri queat, ut, qui „ nudas per ſe res Siculas aut Hiſpanicas legat, „ aut magnitudinem eorum, quae geſta ſunt „ cognosſcat intelligatve, aut quod praecipuum „ est, quo modo, quove adminiſtrandae reipu„ blicae genere opus omnium, quae memoriâ „ noſtrâ geſta ſunt, maxime admirabile fortu„ na perfecerit? Scilicet, ut omnes orbis ter„ rarum cognitas ad hanc diem partes uni im„ perio ac dominatui ſubjiceret; quod num„ quam antea factum invenimus. Nam, Syracu„ ſas quomodo ceperint Romani, et quo modo „ Hiſpaniâ ſint potiti, etiam e particularibus „ Hiſtoriis aliquatenus posſe cognoſci, non ne„ gaverim: at, quomodo imperium in omnes „ ſint conſecuti, et quid in partibus propoſito

„ ip-

„ ipſorum de orbis totius imperio obſtiterit, „ aut quid rurſus, et quibus occaſionibus, co„ natus eorum adjuverit, id ſane absque univerſâ „ rerum historiâ difficile est animo complecti. „ Quibus iisdem de causſis neque magnitudinem „ rerum gestarum, neque vim reipublicae hujus, „ percipere facile queas. Nam Romanos oc„ cupatum isſe Hispaniam aut Siciliam, et nava„ libus terrestribusque copiis bellum gesſisſe, „ id, ſi per ſe narretur et ſeparatim, nihil ad„ miratione admodum dignum habere videatur. „ Sed, ſi haec ſimul ſiant, et longe item plura „ his alia eodem tempore ab eodem imperio ac „ republicâ perficiantur; ſi etiam una cum his „ ſpectentur calamitates et bella, quae in ſuis„ met finibus iidem ſustinuerunt, qui ſuperiora „ illa omnia gerebant:" οὕτως ἂν εἴη μόνον σαφῆ τὰ γεγονότα, καὶ θαυμαστὰ, καὶ μάλις' ἂν οὕτω τυγχάνοι τῆς ἁρμοζούσης ἐπιςάσεως. Ταῦτα μὲν οὖν ἡμῖν εἰρήσθω πρὸς τοὺς ὑπολαμβάνοντας, διὰ τῆς τῶν κατὰ μέρος συντάξεως ἐμπειρίαν ποιήσασθαι τῆς καθολικῆς καὶ κοινῆς ἱςορίας. „ *Ita demum perſpicuae fient res gestae, et ap*„ *parebunt admirabiles: et haec unica est ra*„ *tio illas ſic conſiderandi, ut oportet. Atque* „ *haec dicta nobis adverſus eos ſunto, qui e* „ *ſcriptione res particulares enarrante, uni*„ *verſae et communis historiae notitiam asſecu*„ *turos ſe existimant.*" Complexus est igitur

ſcriptione ſuâ univerſam gentium historiam; prudenter judicans, ita demum ſcribendo operae pretium ſe facturum.

Juvat hic apponere elegantisſimum locum l. I. c. 4, dignisſimum ſane illum tantâ Polybiani ingenii amplitudine et perſpicacitate. Καθόλου μὲν γὰρ ἔμοιγε δοκοῦσιν οἱ πεπεισμένοι διὰ τῆς κατὰ μέρος ἱστορίας μετρίως συνόψεσθαι τὰ ὅλα, παραπλήσιόν τι πάσχειν, ὡς ἂν εἴ τινες ἐμψύχου καὶ καλοῦ σώματος γεγονότος διεῤῥιμμένα τὰ μέρη θεώμενοι, νομίζοιεν ἱκανῶς αὐτόπται γίγνεσθαι τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ τοῦ ζώου καὶ καλλονῆς. εἰ γάρ τις, αὐτίκα μάλα συνθεὶς, καὶ τέλειον αὖθις ἀπεργασάμενος τὸ ζῶον τῷ τε εἴδει καὶ τῇ τῆς ψυχῆς εὐπρεπείᾳ, κἄπειτα πάλιν ἐπιδεικνύοι τοῖς αὐτοῖς ἐκείνοις· ταχέως ἂν οἶμαι πάντας αὐτοὺς ὁμολογήσειν, διότι καὶ λίαν πολύ τι τῆς ἀληθείας ἀπελείποντο πρόσθεν, καὶ παραπλήσιοι τοῖς ὀνειρώττουσιν ἦσαν. ἔννοιαν μὲν γὰρ λαβεῖν ἀπὸ μέρους τῶν ὅλων δυνατόν· ἐπιστήμην δὲ καὶ γνώμην ἀτρεκῆ ἔχειν, ἀδύνατον.

„ *Omnino enim, meo quidem judicio, qui ſibi*
„ *perſuadent e particulari historiâ ſummae rei*
„ *notitiam ſatis commode parari poſſe, ſimiles*
„ *ſunt iis, qui disjecta membra comporis ante*
„ *animati ac pulcri intuentes, abunde ſatis*
„ *ſpectatam ſibi crediderint animalis ipſius vivi*
„ *vim ac pulcritudinem. Nam ſi quis illa mem-*
„ *bra repente in unum componere, et denuo in-*
„ *tegrato animali ſuam formam et naturalem*
„ *pulcritudinem, qui vivo inerat reddere poſſet,*
„ *at-*

„ *atque ita rursus iisdem ipsis illud ostenderet;* „ *omnes credo statim confessuri essent, longe se* „ *antea a rei veritate abfuisse, non multo secus* „ *atque eos, qui somnia vident. Quippe ex parte* „ *potest quidem de toto subire animum aliqua* „ *cogitatio; at scientia et cognitio vera haberi* „ *nequaquam potest.* Quamobrem ita existimare debemus: parum omnino singularum „ partium historiam ad rerum universarum conferre notitiam et fidem, quam ex solâ cunctarum inter se partium connexione et comparatione, item similitudine ac differentiâ, aliquis consequatur; eoque modo in penetralia „ admissus historiae, et utilitatem et voluptatem ex eâ poterit capere."

Sed universa hujusmodi historia, ut in tantâ rerum copiâ, simplex sit et perspicua: opus est, ut a certo et bene cognito initio ducatur. Lex igitur haec fuit Polybio, ut ejusmodi principium tamquam fundamentum, firme poneret, quo aptius in eo historiam quasi exstrueret. Τῆς γὰρ ἀρχῆς ἀγνοουμένης, ait L. I. c. 5, ἢ καὶ νὴ Δί' ἀμφισβητουμένης, οὐδὲ τῶν ἑξῆς οὐδὲν οἷόν τε παραδοχῆς ἀξιωθῆναι καὶ πίστεως· ὅταν δ' ἡ περὶ ταύτης ὁμολογουμένη παρασκευάσθῃ δόξα, τότ' ἤδη καὶ πᾶς ὁ συνεχὴς λόγος ἀποδοχῆς τυγχάνει παρὰ τοῖς ἀκούουσιν. „ *Principium enim* „ *ubi ignoratur aut etiam incertum est, ibi,* „ *ne quae sequuntur quidem, probari fidemque* „ *in-*

„ *invenire possunt. Quod si curaveris, ut illud* „ *satis clarum firmumque sit, tum et conse-* „ *quens oratio facilius se animis audientium le-* „ *gentiumve insinuabit.*" De hoc autem principio, ejusque vi et ratione exquisite disserit l. V. c. 32. „ Antiqui τὴν ἀρχὴν ἥμισυ τοῦ πάντος εἶναι „ φάσκοντες, *principium esse totius dimidium dicen-* „ *tes*, hoc nimirum docere nos voluerunt, in quâcunque re, quam suscipias, plurimum ope- „ rae esse ponendum, ut illam recte inchoes. „ Qui quum videantur verum ita dicendo ex- „ cessisse, meo judicio minus, quam par erat „ dixerunt." Θαῤῥῶν γὰρ ἄν τις εἴποι, οὐχ ἥμισυ τὴν ἀρχὴν εἶναι τοῦ πάντὸς, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ τέλος διατείνειν. „ *Merito siquidem quis dixerit, princi-* „ *pium non solum esse dimidium totius sed ad* „ *ipsum quoque operis finem pertinere.* Nam „ quomodo aliquis recte ullum opus incipiet, „ qui summam illius non fuerit animo com- „ plexus? aut qui non apud se statuerit, un- „ de, quorsum, et cujus rei gratia opus illud „ ordiatur? Aut rursus quomodo rerum expo- „ sitarum summam in extremo recte aliquis „ colliget, qui prima cum ultimis non com- „ posuerit, ut sciat, unde, quomodo et quas „ ob caussas ad illa extrema pervenerit?" Διόπερ οὐχ ὡς ἕως τοῦ μέσου νομίζοντας διατείνειν τὰς ἀρχὰς, ἀλλ᾽ ἕως τοῦ τέλους, πλείστην περὶ ταύτας ποιητέον σπου-

σπουδὴν, καὶ τοὺς λέγοντας καὶ τοὺς ἀκούοντας περὶ τῶν ὅλων. ὃ δὴ καὶ νῦν ἡμεῖς πειρασόμεθα ποιεῖν. „ *Qui* „ *igitur historiam universam aut scribere aut* „ *legere cogitant, his praecipua cura circa prin-* „ *cipia est adhibenda: persuasis, non ad dimi-* „ *dium operis duntaxat, verum etiam ad ejus-* „ *dem finem ultimum pertinere. Id quod et nos* „ *pro virili facere conabimur.*"

Eodem evidentiae consilio cavendum censuit, ne aberraret subinde digressionibus oratio, nec omnia percurrere aut attingere conaretur. Ita praetermisisse se dicit freti Herculei, Britannicarum insularum, fodinarum Hispanicarum descriptionem, non eo quidem nomine, ait, „ quia „ parum illa pertinere ad historiam arbitramur: „ sed primo, ne interrumpere narrationem ad „ singulorum mentionem cogeremur, et a re- „ rum gestarum serie studiosos notitiae illarum „ avocare." l. III. c. 57.

Plurimum autem ad historiae universae perspicuitatem et evidentiam conducit, si ad unum eumdemque bene definitum finem referantur omnia. Iccirco Polybius hanc item legem sibi servandam duxit, ut unum ἔργον, unum θέαμα, spectandum sibi proponeret, „ quo mo- „ modo, quando, et quam ob caussam omnes „ orbis terrarum cognitae partes imperio Ro- „ mano fuerint subjectae." l. III. c. 1. Caete-

 rum

rum „ quandoquidem," ut ipſe ait loco modo laudato, „ ita naturâ comparatum est, ut ex „ toto multa percipiat animus ad rerum parti- „ cularium notitiam, et vicisſim multa ex par- „ tibus ad totius ſcientiam," optimam docendi explicandique viam ratus est, quae in utroque cerneretur. Ac ſimiliter ſibi praecipit l. V. c. 31. Δέον ἂν εἴη, μεγίστην ἡμᾶς ποιεῖσθαι πρόνοιαν καὶ τοῦ χειρισμοῦ καὶ τῆς οἰκονομίας, ἵνα καὶ κατὰ μέρος καὶ καθόλου σαφὲς τὸ σύνταγμα γίγνηται τῆς πραγματείας. „ *Praecipua videlicet adhibenda nobis cura fue-* „ *rit, quo ſic omnia ordinentur atque distri-* „ *buantur, ut et univerſa ſcriptio operis nostri* „ *et ſingulae illius partes perſpicuam explicatio-* „ *nem habeant.*" Quodſi has leges attendimus, meliorem ſane historiae tradendae rationem vix fingere posſimus. Illud enim egit Polybius, quod optimi quique omni aevo artifices maxime ſtuduerunt, ut in ſummâ rerum varietate ſummam ſervaret ſimplicitatem.

Nemo facile umquam de arte hiſtoriae tradendae tanto meditatus est ſtudio, quanto Polybius. Neque adeo difficile ſit, e monitis, praeceptis, legibus, quae pasſim per totam ejus ſcriptionem occurrunt, *perfecti Hiſtorici exemplum* informare. Sed nobis, pro inſtituti nostri modo, nunc quidem ſufficiat nonnullas tantum et praecipuas exempli illius partes adumbrasſe.

ſe. Accedamus igitur ad eas leges, quas univerſae non tantum hiſtoriae auctori, ſed omni omnino Hiſtorico ſervandas judicavit Polybius.

Et continuo hanc ejus legem animadvertamus, ne quis Hiſtoricus ſive partium ſtudio, ſive patriae amore, ſive amicorum caritate a veritate ſe abduci patiatur. Praeſcripſit eam inprimis in Fabii et Philini, hiſtoricorum, reprehenſione I. 14. „ Philino quidem Carthaginienſes om-
„ nia prudenter, recte, fortiter videntur feciſ-
„ ſe; Romani ſecus. Fabius vero contrarium
„ affirmat. Jam in caeteris quidem vitae parti-
„ bus ejusmodi aequitas animi haud fortasſe ſit
„ contemnenda. Par est enim, ut vir bonus et
„ amicorum et patriae ſit amans, utque com-
„ mune cum amicis adverſus eorumdem hoſtes
„ odium gerat, et eorumdem amicos amore
„ communi proſequatur. Verum ubi Hiſtorici
„ perſonam quis ſuſcepit, horum omnium illi
„ obliviſcendum: ac ſaepe quidem de hoſtibus
„ bene loqui, et ſummis ipſos ornare laudibus
„ ſcriptor debet, cum id facta ipſorum poſtu-
„ lant; nonnumquam vero reprehendere quam
„ maxime necesſarios, nec ſine probris vitu-
„ perare, cum ita fieri oportere admisſa in
„ ſuſceptis rebus peccata monent. Ὥσπερ γὰρ ζώου τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειοῦται τὸ ὅλον· οὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐ-

αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται διήγημα. „ *Nam ut ani-*
„ *mal, luminibus ademtis, prorſus inutile red-*
„ *ditur; ita ſi veritatem ex hiſtoriâ tollas, quod*
„ *ſuperest illius, narratio est nullius uſus.*
„ Quamobrem et accuſare amicos, et laudare
„ inimicos ſine cunctatione debemus: neque
„ verendum, quo minus eosdem aliquando
„ reprehendamus, aliquando laudemus, quum
„ nec fieri posſit, ut, qui in rebus gerendis
„ verſantur, recte ſemper colliment; nec rur-
„ ſus veroſimile ſit, continue eosdem errare.
„ Itaque relictis perſonis eorum, qui res gerunt,
„ ad ipſarum rerum geſtarum rationem adaptare
„ pronunciata et judicia ſua ſcriptor Hiſtoria-
„ rum debet".

Similiter XVI. 14. ubi, postquam Zenonem et Antisthenem, Hiſtoricos Rhodios illuſtres, vituperaverat, quod patriae amori nimium in ſcribendo indulſisſent, ita rationes concludit. „ Ego
„ vero, ſcriptores paullulum in patriae ſuae gra-
„ tiam debere inclinare, non diffitear; ſed ita
„ tamen, ut ne talia de eâ praedicent, quae
„ ſunt rebus geſtis contraria. Etenim ſunt alia
„ ſat multa peccata, in quae ex veri ignoratione
„ ſcriptores incurrunt; quae quidem cum homi-
„ nes nati ſimus, vitare difficile est. Quod ſi
„ etiam de induſtriâ falſum ſcientes ſcribamus,
„ ſive in patriae, ſive in amicorum gratiam;
„ quid

„ quid interest inter nos atque eos, qui ejusmo- „ di instituto victum quaerunt? Nam uti illi ve- „ rum utilitate suâ metiendo, scriptis suis au- „ ctoritatem detrahunt: sic viri in republicâ „ exercitati, saepe odio aut amore attracti, in „ idem atque isti vitium incidere solent. δι' ὃ δεῖ καὶ τοῦτο τὸ μέρος ἐπιμελῶς τοὺς μὲν ἀναγινώσκοντας παρατηρεῖν, τοὺς δὲ γράφοντας αὐτοὺς παραφυλάττεσθαι. „ *Proinde et lectores diligenter ad hoc attendere* „ *oportet, et scriptores ipsos sedulo sibi ab hac* „ *parte cavere*".

Non minus sibi cavendum censuit a praejudicatis opinionibus, fabulis, superstitione, quibus et lux veritatis tollitur et historiae fructus intercipitur. Sed satis hoc patet ex illustri, quem supra p. 25 attulimus, loco, nec opus est plura congerere documenta.

Veri autem studium, ut praecipuam legem, ubivis sibi praescripsit Polybius. Nec ferre adeo potuit, nonnullos Historicos id maxime studuisse, ut lectorum animos ad misericordiam, indignationem et similes quosque affectus moverent et excitarent. Carpit hoc nomine Phylarchum, Historicum II. 56. magis hoc Tragici poëtae, quam Historici esse officium statuens. „ Enimvero Historiarum scriptoris officium est; non, „ ut, mirabilia crepando, percellat narratione „ suâ lectores, neque ut sermones consectetur,

„ quo

„ quos fuisse habitos sit verosimile; aut ut ea; „ quae quamque rem, de quâ agitur, vel con- „ sequi vel comitari fortasse potuerant, enume- „ ret; quod Tragoediarum poëtae facere so- „ lent: sed ut ex veritate omnia, prout quaeque „ gesta dictave sunt, etiamsi parum mirabilia „ fuerint, exponat. Τὸ γὰρ τέλος ἱστορίας καὶ τραγῳδίας, οὐ ταυτὸν ἀλλὰ τοὐναντίον· ἐκεῖ μὲν γὰρ δεῖ διὰ τῶν πιθανωτάτων λόγων ἐκπλῆξαι καὶ ψυχαγωγῆσαι κατὰ τὸ παρὸν τοὺς ἀκούοντας· ἐνθάδε διὰ τῶν ἀληθινῶν ἔργων καὶ λόγων εἰς πάντα τὸν χρόνον διδάξαι καὶ πεῖσαι τοὺς φιλομαθοῦντας. „ *Non est enim idem, sed po-* „ *tius contrarius Tragoediae et Historiae finis.* „ *In illâ oratione, quam maxime fieri potest, pro-* „ *babili, admiratio et praesens oblectatio audito-* „ *rum quaeritur: hic, factis dictisque veris in* „ *omne deinceps aevum studiosi lectores docendi* „ *simul sunt et ducendi*".

Porro grave hoc duxit Historici munus, ut clarissimorum virorum mores et studia notaret. Agens l. XV. c. 35, de Agathocle et Dionysio, Siculis, quos P. Scipio Africanus Major omnium mortalium in administratione rerum judicavit et solertissimos et fortissimos: „ de viris horum similibus, ait, agen- „ ti conveniat monere lectorem, ut quasi gra- „ dum sistat, et advertat animum; ac fortunae „ etiam et humanarum rerum nonnihil meminis-

„ se,

„ ſe, et omnino illam, quae documenti cauſſa „ adjicitur, orationem narrationi ſubtexere".

Sed idem alienus fuit a nimio tam laudandi quam vituperandi ſtudio. „ Ego vero ita exiſtimo, in„ quit l. VIII. c. 10, neque vituperari falſo, ne„ que laudari reges oportere, quod multi jam „ fecerunt; ſed id agendum, ut, quae dicas, „ nec repugnent iis, quae ſupra ſcripſeris, et „ cum conſiliis atque moribus eorum, de qui„ bus agitur congruant atque conſentiant".

Et ſummâ animi indignatione invehitur in eos, qui culpandi reprehendique cupiditate feruntur. „ Quaſi magis ad rem faceret, ait l. II. c. „ 61, in ſcribendâ hiſtoriâ hominum delicta re„ cenſere, quam praeclare facta obſervare: aut „ quaſi ad emendationem hominum egregia fa„ cinora et laude digna minus conferrent, quam „ improbae et vituperandae actiones". Praeclare hac de re ſententiam ſuam explicat l. XII. c. 14, ubi vituperat Timaeum, καθάπερ, inquit, γὰρ οἱ νοῦν ἔχοντες, ἐπὰν ἀμύνασθαι κρίνωσι τοὺς ἐχθροὺς, οὐ τοῦτο πρῶτον σκοποῦνται, τί παθεῖν ἄξιος ἐςιν ὁ πλησίον, ἀλλὰ, τί ποιεῖν αὐτοῖς πρέπει, τοῦτο μᾶλλον· οὕτω καὶ περὶ τῶν λοιδοριῶν, οὐ, τί τοῖς ἐχθροῖς ἀκούειν ἁρμόζει, τοῦτο πρῶτον ἡγητέον, ἀλλὰ, τί λέγειν ἡμῖν πρέπει, τοῦτο ἀναγκαιότατον λογιςέον. „ *Nam quemadmodum* „ *viri prudentes et cordati, quando inimicos* „ *volunt ulcisci, nequaquam illud primum conſi-*

„ *de-*

„ *derant, quid ille dignus sit pati, quicum iis* „ *res est: sed illud potius, quid sibi facere con-* „ *veniat: ita et, cum alicui probra dicuntur,* „ *non id primo est attendendum, quid inimicos* „ *audire conveniat; verum id, ut prae caetèris* „ *necessarium, est potius cogitandum, nos quid* „ *deceat dicere*". Illos vero, qui irâ atque odiis „ suis cuncta metiuntur, necesse est in cun- „ ctis suspectos habere; et diffidendum omni- „ bus, qui in dicendo modum tenere nesciunt." Iccirco ita statuit l. l. c. 15. „ Propterea „ debent rerum gestarum scriptores non ea so- „ lum, quae ad criminandum et accusandum „ valent, tradere posteris; verum etiam illa „ quae cum laude sunt conjuncta."

Denique hoc etiam sibi tenendum existimâvit Polybius, ne enarrandis rebus gentium continuo, sine ullâ intermissione, pergeret; sed subinde lectores quasi quiescere juberet, ut, tamquam in itinere faciundo, ad ea quae post terga reliquerant, respicerent, et veluti e speculo quodam res omnes universi terrarum orbis placide contemplarentur. Quod profecto, quantopere cum ad suavitatem lectorum, tum ad historiae fructum valeat, nemo est, quin suâ sponte intelligat.

Satis diximus de viâ et ratione, quam in historiâ conscribendâ tenendam sibi duxit Polybi-

bius. Sed leges ſibi praeſcribere parum prodest, niſi accurate et conſtanter teneantur. Et jam continuo quaerat forte aliquis, num vitio, quod in aliis notavit, ipſe caruerit Polybius, quippe qui, ut ſubinde jam ſignificatum est, alios adeo reprehenderit et vituperaverit Hiſtoricos? At vero non ea fuit viri indoles, ut ſe magnifice circumſpiceret, et quaſi e ſublimi loco in alios deſpiceret, qui ante ipſum hiſtorias condiderant. Ubique maximâ indulgentiâ uſus, ſcriptorum vitia indicat, ita ut ſaepe moneat, gratias iis habendas eſſe et laudes, quod non plures commiſerint errores, et reliqua tam bene tradiderint. Quodſi quis vel ingenii levitate, vel datâ operâ fidem historicam non ſervavit, in hunc profecto jure plane ſuo invehitur. Et ſane in ipſâ Zenonis et Antisthenis reprehenſione, debitis hos viros laudibus proſequitur l. XVI. c. 13. et Fabium ac Philinum, in ipſis eorum erroribus notandis, excuſare conatur l. I. c. 14.

Caeterum quatenus praecepta illa ſua et leges per univerſam ſcriptionem exſecutus ſit Polybius, ex univerſae demum ſcriptionis lectione aestimari potest. Quodſi quis exempla expetat et locos quosdam peculiares, in mentem is revocet, quae de historicâ ejus fide et caeteris ejus laudibus ſupra obſervavimus. Ita

ſane haud facile quisquam hac de re dubitabit. Sive enim agitur veri ſtudium: nec amicis ſuis, nec ipſi adeo patri pepercit, ut vere res geſtas traderet. Sive quaeritur justum de viris excellentibus judicium: videmus quam prudenter de Hannibale et Arato pronunciaverit. Sive etiam requiritur animus integer et incorruptum judicium: intelleximus, quid de ſuperſtitione cum Bargylietarum, tum maxime Romanorum ſenſerit. Et pariter ex iis, quae ſupra disputavimus, nemo non animo perceperit, inſigne quoddam in Polybio fuisſe probitatis et honestatis ſtudium. Uti autem, judice Cicerone (1), nihil est amabilius virtute, nec quicquam homini magis placet, quam virtutem in homine demirari, ita concedatur juvenili ardori, ut ſuperioribus illis hoc unum adjiciamus.

Ubivis Polybius virtutem commendat. Quotiescumque vel bonos laudibus celebrat, eosque

centum potiore ſignis
munere donat,

vel improbos ita inducit, ut quemque ab improbitate deterreat: toties in eo probum hominem ac vir-

(1) De amicitiâ c. 8.

virtutis ſtudioſisſimum admiramur. Loca, in quibus praeclarus hic viri ardor elucet, permulta ſunt, ſed longiora fere illa, quam quae hic integra adſcribantur. Unum tantum apponamus, quem nemo facile legat, quin a pravitate abhorreat. Exſtat ille l. XXIV. c. 8. ubi terribilis illa Philippi, Demetrii filii, mors deſcribitur. Καθάπερ γὰρ ἂν εἰ δίκην ἡ τύχη βουλομένη λαβεῖν ἐν καιρῷ παρ' αὐτοῦ πάντων τῶν ἀσεβημάτων καὶ παρανομημάτων, ὧν εἰργάσατο κατὰ τὸν βίον, τότε παρέστησεν αὐτῷ τινας ἐριννῦς καὶ ποινὰς καὶ προστροπαίους τῶν δι' ἐκεῖνον ἠτυχηκότων· οἱ συνόντες αὐτῷ καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν, τοιαύτας ἔλαβον παρ' αὐτοῦ τιμωρίας ἕως οὗ τὸ ζῆν ἐξέλιπεν, ὡς καὶ πάντας ἀνθρώπους ὁμολογῆσαι, διότι κατὰ τὴν παροιμίαν ἔστι τις Δίκης ὀφθαλμὸς, ἧς μηδέποτε δεῖ καταφρονεῖν ἀνθρώπους ὑπάρχοντας. „ *Prorſus enim ac ſi* „ *fortuna omnium ſcelerum, quae per totam ante actam vitam commiſerat, poenas opportune* „ *expetere ab eo vellet, quasdam furias et ultrices omnium, quos nefarie violaverat, diras* „ *tunc ei admovit: quae quidem noctu atque* „ *interdiu ipſi imminentes, ejusmodi poenas ab* „ *eo exegerunt, donec ultimum vitae ſpiritum* „ *iudit: ut confesſi ſint omnes mortales, eſſe* „ *quemdam, ut in proverbio dicitur, juſtitiae* „ *oculum, quem quidem ab hominibus ſperni* „ *haudquaquam fas ſit.*" Similiter in cohortandis Regibus, Politicis, ipſis populis ad cauſ-

 ſam

ſam bene gerendam, ubique virtutem et juſtitiam etiam atque etiam commendat, in primis l. IV. c. 74. l. V. c. 90 et 98. Haud immerito igitur Caſaubonus, in praeclarâ illâ, quam non ſemel citavimus, dedicatione: „ Scias," ait, „ verâ virtute fuiſſe praeditum, qui cauſſam „ ſcribendi ſolam habuerit, publicam utilitatem, „ et errores vitae corrigendi deſiderium."

§ III.

De orationis formâ et ratione, quâ uſus fuit Polybius.

Ad rationem ſignificandam, quam in tradendis rebus gentium ſecutus eſt Polybius, reſtat, ut de ejus oratione agamus.

Hoc argumentum maxime diverſum in utramque partem judicium ſubiit. Uti enim nonnulli nil non in Polybio, ipſum etiam dicendi genus, laudarunt: ita multi in dictionis Polybianae incuriam, ſoloecismos, alia vitia graviter invecti fuerunt. Et fuit adeo in ipſis veteribus, (Dionyſium dico Halicarnasſenſem) (1) qui ad finem eum perlegi non poſſe ſtatueret. Difficile eſt igitur probabilem hac de re ſententiam in medium

(1) περὶ συνθ. ὀνομ. *c.* 4. *T. V. p.* 28. *ſeqq. Ed. Reisk.*

dium proferre. Nos, ut ingenue fateamur, in tractando Polybio, orationem non deprehendimus tersam, nitidam, comtam, ad concinnam venustatem conformatam: desideravimus continuo Herodoti suavitatem, Thucydidis gravitatem, Xenophontis elegantiam, Platonis copiam; verum tamen iidem etiam virilem plane in eo dicendi rationem admirati sumus, referentem fere altissimos quosque generosi pectoris sensus, et dignam plane homine, qui in bellicis semper et Politicis negotiis versatus fuit. Scilicet Polybius, ut verbis utar Cl. Wyttenbachii in palmario illo principum Historicorum characterismo, qui exstat in Praef. ad selecta Hist: „ natus et educatus in liberâ patriâ, in eâdem „ tuendâ regendâque versatus, ejusdem libertati „ superstes, servavit civilis spiritum libertatis: „ qui ubi abest, eloquentia inane quid et „ languidum sonat: ubi adest cum rerum „ scientiâ, etiam sine verborum et compo- „ sitionis delectu, Historiae munus explet." Et sane ita factum, ut quamvis elegantiam non conciliaverit scriptis suis, tamen haec scripta a posteris non solum cupide lecta, sed imitando etiam expressa fuerint. Quam ob rem tantum abest, ut Dionysii Halicarnassensis l. l. ineptam profecto sententiam probemus, ut cum Ernestio dubitemus, *uno illo libri sexti fragmen-*

se an unquam prudentius sit quicquam sapientiusque scriptum. Dedicat. Ed. Cic. p. 55. Sed nobis sufficiat significasse, quo animi sensu nos affecerit Polybiana oratio. Quid de eâ pronunciandum sit, nec nostrum est statuere, et statuit jam praeclare Ernestus in Praef. ad ipsius Edit. Polyb. p. 24, et inprimis Cl. Wyttenbachius l. l.

Illud est provinciae nostrae, ut Polybianas hac etiam in re laudes, exemplis apponendis, declaremus. Exstant enim apud eum rerum descriptiones, comparationes, metaphorae, lumina omnino orationis, quae lectorem continuo et capiant et teneant. Describendi autem atque enarrandi facultas, nisi ipso legendo scriptore cognosci non potest. Praeclara sunt exempla l. III. c. 33. L. XXII. c. 21, de Chiomara. L. XXIII. c. 18, de Apolloniâ. Sed longum fit ea huc adducere. De caeteris igitur orationis dotibus dicamus.

Disputat l. XVII. c. 15. de proditoribus, et prudenter statuit, hos fere vel puniri ab iis, quos prodiderunt, vel saepius etiam male haberi ab ipsorum amicis, in quorum gratiam proditores evaserunt. Subjicit autem deinceps haec: ἐὰν δέ ποτε καὶ τὰς ἀμφοτέρων τούτων ἐπιβουλὰς διολισθῶσιν, ἥ γε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις φήμη τιμωρὸς αὐτοῖς ἕπεται παρ᾽ ὅλον τὸν βίον, πολλοὺς μὲν φόβους ψευδεῖς, πολλοὺς δὲ ἀληθεῖς παριστάνουσα, καὶ νύκτωρ καὶ

καὶ μετ' ἡμέραν, πᾶσι δὲ συνεργοῦσα καὶ συνυποδεικνύουσα τοῖς κακόν τι κατ' ἐκείνων βουλευομένοις· τὸ δὲ τελευταῖον, οὐδὲ κατὰ τοὺς ὕπνους ἐῶσα λήθην αὐτοὺς ἔχειν τῶν ἡμαρτημένων, ἀλλ' ὀνειρώττειν ἀναγκάζουσα πᾶν γένος ἐπιβουλῆς καὶ περιπετείας, ἅτε συνειδότας ἑαυτοῖς τὴν ὑπάρχουσαν ἐκ πάντων ἀλλοτριότητα πρὸς σφᾶς, καὶ τὸ κοινὸν μῖσος. „*Sin vero utriusque etiam partis* „*insidias declinaverint, fama certe ultrix ubi-* „*que terrarum iis imminet, quoad vivunt,* „*multasque modo inanis, modo veri metus caus-* „*sas dies noctesque suggerit, et eorum inimicis* „*suffragatur, ac varias nocendi ansas submini-* „*strat: postremo, ne noctu quidem scelerum suo-* „*rum eos oblivisci patitur, sed omnis generis insi-* „*dias atque casus per somnum exhorrescere co-* „*git, ut qui sibi conscii sint malevolentiae om-* „*nium hominum et publici in se odii.*" Quâ sententiâ nil facile efficacius, nil gravius dici potest.

In comparationibus instituendis simplici fere utitur ratione, et dici tamen vix potest, quanta insit in hac simplicitate vis et efficacia.

Exemplo sit l. VI. c. 10. Καθάπερ γὰρ, inquit, σιδήρῳ μὲν ἰὸς, ξύλοις δὲ θρῖπες καὶ τερηδόνες συμφυεῖς εἰσι λῦμαι, δι' ὧν, κἂν πάσας τὰς ἔξωθεν διαφύγωσι βλάβας, ὑπ' αὐτῶν φθείρονται τῶν συγγενομένων· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῶν πολιτειῶν συγγίγνεται κατὰ φύσιν ἑκάστῃ καὶ παρέπεταί τις κακία· βασιλείᾳ μὲν ὁ μοναρχικὸς λεγόμενος τρόπος, ἀριστοκρατίᾳ δὲ ὁ τῆς ὀλιγαρχίας, δημο-

δημοκρατίᾳ δὲ ὁ θηριώδης καὶ χειροκρατικός· εἰς οὓς οὐχ οἷόν τε μὴ οὐ πάντα τὰ προειρημένα σὺν χρόνῳ ποιεῖσθαι τὰς μεταστάσεις. „ *Sicut enim rubigo ferro, cossi et* „ *teredines ligno congenitae pestes insunt; adeo,* „ *ut, quamvis nihil extrinsecus illa laeserit, per* „ *ea tamen, quae intra ipsa nascuntur, inter-* „ *eant: sic etiam naturae legibus simul cum* „ *singulis rerumpublicarum formis nascitur ali-* „ *quod vitium, quod assidue illas comitatur:* „ *puta regnum, monarchicus, qui dicitur sta-* „ *tus; optimatium principatum, dominatio pau-* „ *corum; imperium populi, ferinae similis po-* „ *tentia, quando obtinet manuum violentia: in* „ *quae vitia quo minus singulae rerumplicarum* „ *formae, conversae tandem mutentur vitari non* „ *potest.*" Et l. XXXIII. c. 9. „ Aristocrates, „ ait, Praetor Rhodiorum, erat ille quidem „ specie plenus dignitatis ac terroris. Quam „ ob rem Rhodii idoneum belli ducem, atque „ egregium Imperatorem sese habere credide- „ rant. Verum enim vero suî spe longe frus- „ trati sunt. Ἐλθὼν γὰρ εἰς τὰς πράξεις, ὥσπερ εἰς „ πῦρ, καθάπερ τὰ κίβδηλα τῶν νομισμάτων, ἀλλοῖος „ ἐφάνη. *Nam quum ad res ipsas, tamquam* „ *in fornacem accessisset, instar adulterinae* „ *monetae longe alius apparuit.*" Item l. V. c. 26, ubi mirâ festivitate sic disserit: Βραχεῖς γὰρ δὴ πάνυ καιροὶ πάντας μὲν ἀνθρώπους ὡς ἐπίπαν

ὑψοῦσι καὶ πάλιν ταπεινοῦσι· μάλιστα δὲ τοὺς ἐν τοῖς βασιλείοις. Ὄντως γὰρ εἰσιν οὗτοι παραπλήσιοι ταῖς ἐπὶ τῶν ἀβακίων ψήφοις. ἐκεῖναί τε γὰρ κατὰ τὴν τοῦ ψηφίζοντος βούλησιν, ἄρτι χαλκοῦν, καὶ παραυτίκα τάλαντον ἴσχυουσιν· οἵ τε περὶ τὰς αὐλὰς κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως νεῦμα μακάριοι, καὶ παρὰ πόδας ἐλεεινοὶ γίγνονται.
„ *Enim vero, quum in universum omnes mortales*
„ *parvis momentis et sublimes evehantur, et rur-*
„ *sus dejiciantur; tum in iis, qui regum aulas*
„ *colunt, id praecipue locum habet. Plane*
„ *enim similes isti sunt calculis, quos in tabulis*
„ *calculatoriis est videre: nam ut hi pro lubitu*
„ *calculantis, modo chalcum valent, modo ta-*
„ *lentum; ita etiam aulici, ad regis nutum,*
„ *beati aut misere repente existunt.*"

Quodsi illustriorem quaeris comparationem, elegantissimam habemus l. VI. c. 47, ubi de Platonis Republicâ agit: ὥσπερ γὰρ, inquit, οὐδὲ τῶν τεχνιτῶν ἢ τῶν ἀθλητῶν τούς γε μὴ νενεμημένους, ἢ σεσωμασκηκότας, παρίεμεν εἰς τοὺς ἀθλητικοὺς ἀγῶνας· οὕτως οὐδὲ ταύτην χρὴ παρεισαγαγεῖν εἰς τὴν τῶν πρωτείων ἅμιλλαν, ἐὰν μὴ πρότερον ἐπιδείξηταί τι τῶν ἑαυτῆς ἔργων ἀληθινῶς· μέχρι δὲ τοῦ νῦν παραπλησίως ἂν ὁ περὶ αὐτῆς φανείη λόγος, ἀγομένης εἰς σύγκρισιν πρὸς τὴν Σπαρτιατῶν καὶ Ῥωμαίων καὶ Καρχηδονίων πολιτείαν, ὡς ἂν εἰ τῶν ἀγαλμάτων τις ἓν προθέμενος, τοῦτο συγκρίνοι τοῖς ζῶσι καὶ πεπνυμένοις ἀνδράσιν. Καὶ γὰρ ἂν ὅλως ἐπαινε-

τὸν ὑπάρχῃ κατὰ τὴν τέχνην, τήν γε σύγκρισιν τῶν ἀψύχων τοῖς ἐμψύχοις ἐνδεῆ καὶ τελείως ἀπεμφαίνουσαν εἰκὸς προσπίπτειν τοῖς θεωμένοις. „*Ut enim artifices aut* „*athletas, qui recepti in album non fuerint,* „*neque ad id corpus praeparaverint, ad athleticos agones et certamina non admittimus:* „*sic neque haec respublica admitti debet ad* „*contendendum cum caeteris de principe loco,* „*nisi prius aliquod opus suum re ipsâ demonstraverit. Ut enim res se habet ad hunc* „*usque diem, si quis, quae de illâ sunt scripta, contendere instituerit cum Spartanorum,* „*Romanorum, et Carthaginiensium rebuspublicis, perinde videri debebit, ac si quis statuam* „*aliquam deligat, et cum vivis spirantibusque* „*hominibus eam comparet. Licet enim, ad artem quod attinet, laudem omni ex parte statua illa mereatur; comparationem tamen rerum inanimatarum cum animatis imperfectam* „*ac prorsus dissentaneam visum iri spectantibus* „*necesse est.*" Nec sane praeclariorem usquam comparationem me legere memini nobilissimâ hacce l. VI. c. 44. Ἀεὶ γάρ ποτε τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον παραπλήσιον εἶναι συμβαίνει τοῖς ἀδεσπότοις σκάφεσι. Καὶ γὰρ ἐπ' ἐκείνων, ὅταν μὲν ἢ διὰ πολεμίων φόβον, ἢ διὰ περίστασιν χειμῶνος, ὁρμὴ παραστῇ τοῖς ἐπιβάταις συμφρονεῖν καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τῷ κυβερνήτῃ, γίγνεται τὸ δέον ἐξ αὐτῶν διαφερόντως. ὅταν δὲ θαῤῥήσαντες ἄρξωνται

ται καταφρονεῖν τῶν προεστώτων, καὶ στασιάζειν πρὸς ἀλλήλους, διὰ τὸ μηκέτι δοκεῖν πᾶσι ταυτά· τοτε δὴ, τῶν μὲν ἔτι πλεῖν προαιρουμένων, τῶν δὲ κατεπειγόντων ὁρμίζειν τὸν κυβερνήτην, καὶ τῶν μὲν ἐκσειόντων τούς κάλους, τῶν δ' ἐπιλαμβανομένων, καὶ στέλλεσθαι παρακελευομένων, αἰσχρὰ μὲν πρόσοψις γίγνεται τοῖς ἔξωθεν θεωμένοις, διὰ τὴν ἐν ἀλλήλοις διαφορὰν καὶ στάσιν· ἐπισφαλὴς δὲ ἡ διάθεσις τοῖς μετασχοῦσι καὶ κοινωνήσασι τοῦ πλοῦ. διὸ καὶ πολλάκις, διαφυγόντες τὰ μέγιστα πελάγη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους χειμῶνας, ἐν τοῖς λιμέσι καὶ πρὸς τῇ γῇ ναυαγοῦσιν·

„ Semper enim populus Athenienſium navibus „ praefecto carentibus est ſimilis: in quibus, „ quoties aut propter metum hostium, aut ob ſae- „ vientis tempestatis periculum, vectoribus vo- „ luntas incesſit in unum conſentiendi et guber- „ natori parendi, ſuo quisque officio eximie fun- „ guntur omnes: postquam vero reſumtis animis „ aspernari rectores coeperunt, et, aliis alia „ autumantibus, ſententiis inter ſe disſidere; „ tum enim vero, ubi pars navigationem cupit „ perſequi, pars inſtat acriter gubernatori, ut „ navem aliquo ejiciat, aliis rudentes explican- „ tibus, aliis manu injectâ inhibentibus, et con- „ trahere jubentibus; tum vero rixae istae at- „ que turbae et extrinſecus ſpectantibus foedum „ exhibent ſpectaculum, et in periculum addu- „ cunt hos, qui intus navigationem participant.

„ *Fit-*

„ *Fitque adeo persaepe, ut, qui vastissima eluc-*
„ *tati fuerint maria et tempestates maxime in-*
„ *signes, in ipso portu et ad terram naufragium*
„ *faciant.* Cernimus hîc plane Atheniensium
„ reipublicae imaginem."

QUAES-

QUAESTIONES AD DISCEPTANDUM PROPOSITAE.

I.

Oſtracismus apud Athenienſes haud contemnendo conſilio inſtitutus videtur.

II.

Prudenter Solon popularem regiminis formam apud Athenienſes ita temperare conatus est, ut esſet, quo et populi et optimatium auctoritas cohiberetur.

III.

Romani post bellum inprimis Punicum ſecundum, ad augendum imperium ſuum, id maxime egisſe videntur, ut inter Reges, civitates, ipſos etiam cives diſcordiae ſemina di-

diſpergerent. quo facilius hi et certius in ipſorum poteſtatem redigerentur.

IV.

Praeclara est haec Scipionis Naſicae de Romanis ſententia, quam memorat Plutarchus in libello πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρ. ὠφ. *p.* 88. *A.* „*Naſica, nonnullis putantibus atque affir-* „*mantibus, rem Romanam in tuto esſe ſta-* „*tu collocatam, deletis Carthaginienſibus et* „*in ſervitutem redactis Achaeis:* nunc vero, „*dixit*, perículoſe res noſtrae ſe habent, qui „neque quos metuamus, neque quos reverea- „mur, nobis reliquos fecimus".

V.

Deliberantibus aliquando Spartanis, armisne vindicarent ducum eligendorum jus, an Athenienſibus hoc relinquerent: prudenter iis ſuaſit Hetaemaridas, ut continuo hoc munus Athenienſibus traderent: hanc addens ſententiae ſuae rationem, quod fortisſimi quique belli duces, una cum victoriâ corruptelae etiam ſemina in patriam apportare ſolerent.

VI.

VI.

Eximia est haec elegantisſimi Erneſtii de mercaturâ ſententia: „ Recte *quis mercatu-* „ *ram* pulcrarum *appellet* artium nutricem: *Ad* „ *quos enim populos haec ſe contulit, ad eosdem* „ *plerumque venit ars, hoſpitium quaerens, re-* „ *peritque benignum ac liberale, per cujus op-* „ *portunitatem posſit proferre ingenium operi-* „ *bus exquiſite elaborandis.*"

VII.

Verisſima ſunt illa Ciceronis I. de off. 42. „ *Omnium autem rerum, ex quibus aliquid* „ *acquiritur, nihil est agriculturâ melius,* „ *nihil uberius, uihil dulcius, nihil homine* „ *libero dignius" Et ſummo jure agricultura antiquis Graecis et Romanis* Legifera *dicta fuit.*

VIII.

Asſentior Peſtelio viro Cl. in Fund. Jurispr. Nat. P. I. Sect. IV. §. 188, *affirmanti, hunc vere esſe liberum, ſi ſtatum mentis internum* con-

conſideres, qui voluntatem ſuam non coeco inſtinctus impulſui, ſed rationis verum bonum a malo diſtinguentis ductui accommodet.

CON-

CONSULTISSIMO VIRO AMICO,

ANTONIO VAN GOUDOEVER,

ſuam de *hiſtoricis Polybii laudibus diatribem* in lucem edenti.

Τέρπομαι, ὦ φίλε θυμὲ, τεὶν σὺν παλλάτι χαίρω,
  Νῦν ἀιεὶ χλωροῖς σου ςέφε κρᾶτα ῥόδοις.
Ἄνθεα Πυλυβίου κεκαλυμμένα ἡδέα δείκνυς,
  Ἄνθεα τοῖς Βαταβοῖς ἱερὰ πᾶσι σοφοῖς.
Οὐ σέο σιγήσει, Ἀντώνιος, ὄνομα Φήμη,
  Ἀλλά σε μὲν κόσμου ἔθνεσι πᾶσιν ἐρεῖ·
Ὡς γὰρ παντοδαποῖς προσπτᾶσα φυτοῖσι μέλιττα
  Ἐκ πάντων γλυκερὸν μηδέτ᾽ ἰοῦσα μέλι·
Οὕτως ἀκαμάτως προσιὼν συγγράμματα πάντα;

Συλλέξας πάσην Πυλυβίου σοφίην.

Τήνδε ἔρως τε πόθος τε διδασκέμεναι καλὰ πάντα,

Τήνδε πανημέριοι παννύχιοίτε κόποι,

Τήνδε σοι αἱ Μοῦσαι, πρώτης ἄπο φίλταται ἥβης,

Τήνδε δόσαν πολλαὶ φροντίδες ἀργαλέαι.

Τοὔνεκεν ὀλβίζω σὲ, ὃν ἀγκαλίδεσσιν ἑαῖσιν

Ἀμπλέκεται δίη καὶ φιλέει σοφίη·

Τοὔνεκα καὶ σὲ φιλῆσαι, φιλεῖν τε καὶ οὔποτε λήξω,

Καὶ μὲν ἐμῆς φιλίης τοῦτο τὸ δῶρον ἔχε,

Λοιπὸν σοι ἔιη κούρη, χαρίτεσσιν ὁμοίη,

Κάλλος ὅλη τ᾽ εἴη, καὶ γλυκίων μέλιτος.

Σὺν τῇ σοι δὲ θεὸς δοίη, ἀπάτερθε μεριμνῶν,

Ἀβλαβέως ζώειν μηδὲν ἔχοντι κακόν.

G. DORN SEIFFEN., J. U. D., *Hieronymianae Scholae praeceptor.*

VI-

VIRO CONSULTISSIMO,
DOCTISSIMO

ANTONIO VAN GOUDOEVER,

Diatriben philologicam *de Historicis Polybii laudibus* Publice propugnanti.

Olim tibi, ô Optime! gaudeo,
Praesagientem jam, fore te, quod es,
Monstrasse me jucundum ad Artes
Ingenuas aditum tenello.

❀

Plures fuerunt, pluraque commoda
Viri dederunt post tibi Principes;
Tuo sed ex amore, ut ante,
Parte mea fruar; et beabor.

Nunc luce laetor te Polybi nova
Beasse crebro docta volumina,
Qua splendide nunc ipse luces,
Concilias decus et perenne.

S. NYHOFF, J. U. D., Ling. Graec.
Lector, Gymnasii Hieron. Rector.

AAN

(1)

AAN MIJNEN WAARDEN VRIEND

Mr. A. VAN GOUDOEVER,

Bij gelegendheid van de openbare verdediging zijner letterkundige verhandeling, *over Polijbius als Historie-Schrijver beschouwd.*

Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo juvat, et fide Cyllenea
Levare duris pectora sollicitudinibus.
HOR.

Mogt eertijds, op verheven toonen,
Bezield door 's Dichters warmen gloed
't Pindarisch lied den held beloonen,
Die, opgecierd met Eikenkroonen,
Door 't juichend Pisa werd begroet:
Wen hij zijn' wit beschuimde rossen
Met forsche vuist door 't strijdperk stiert,
En met zijn gloende wagenbossen,
Om d'ongeraakten renpaal giert.

Dan

Dan mag ook, ſchoon in flaauwer zangen,
Mijn' Zangſter hem haar hulde bien,
Dien ik met roem omſtraald mag zien.
En zelfs een lauwertwijg van Phebus mogt erlangen.

❁

Heil! Heil dan! Vriend! op dezen dag!
Waarop het koor der Pierinnen
U met een vriendelijken lach
Toejuichen van haar tempeltinnen,
Terwijl aan Lethe's effen vloed,
Bij het ruiſchen der vergetelbaren,
Polijbius den ſchimmenſtoet
Verlaat, om voor een poos zijn' liev'ling aan te ſtaren.

Maar ach! hoe zacht de roem ook ſtreel'.
Hoe zeer het hart ook hang' aan ſchittrend eere-lover.—
Zoek in dien glans niet al te veel,
En geef U niet geheel aan ijd'le roemzucht over!

Dan

❀

Dan wordt die vonk, die nu het hart
Zoo onuitfpreekbaar zacht kan ftoven,
Een' onuitblusbre vlam, die allen weerftand tart,
En nimmermeer is uit te dooven:
Terwijl ze ftaâg op nieuw vermeert,
Al wat haar nadert, drâ verteert,
En 't huisfelijk geluk opoffert aan haar woede;
Den mensch geftadig drijft en jaagt,
Als d'opgeheven geesfelroede
Den Mijnflaaf, die in ketens klaagt.

❀

Neen Vriend! Maar wil U zelv' befchaven
Door Uwe kunde en noeste vlijt!
En breng, met milde hand, Uw' gaven
Op 't Outer, aan Apol gewijd!

❀

Doe 't hart der tedre jeugd ontgloeijen
Voor kunst en wetenfchap en fmaak!
En juich om Uwen eed'len taak,
Wanneer een dankbre traan U blij mag tegenvloeijen

Maar

❁

Maar hoe! ginds zie ik 't minnewicht
Een geurig bloemenkransjen ſtreng'len;
Zijn oog is ſchalks op U gericht,
En 'k zie een' ſchoone roos hem in dat kransjen meng'len.
Die roos, zoo malsch, zoo frisch van kleur
Zij 't beeld van Uw geluk op aarde:
Nooit derve Uw hart haar zoeten geur:
En juich in de armen van Uw' Waarde!

❁

Smaak aan haar borst meer zaligheid,
Dan ooit in Latmus ſtille dreven,
Diana's teed're minzaamheid
Haar ſchoonen herder konde geven.

❁

Maar o! Wat heil de min U bied':
Vergeet in haar genot, Uw trouwe Vrienden niet:
Noch 't heilig koor der Zang-godesſen.
Zoo moogt ge met een' ruime borst
Uwe altijd heete letterdorst,
Aan Aganippe's bron met koele teugen lesſchen.

L. RIETBERG,
A. L. M. Phil. et J. U. Dr.